ro
lo
o-
ca


DIEU DEFEND LE DROIT

LEGATIO
POLONO-LITHUANICA
in
MOSCOVIAM
POTENTISSIMI
POLONIÆ REGIS
ac
REIPUBLICÆ
Mandato & Conſenſu
Anno 1678. feliciter ſuſcepta,
Nunc
Breviter ſed accuratè quoad ſingula notabilia deſcripta
à
Teſte occulato
BERNHARDO LEOPOLDO FRANCISCO TANNERO,
Boemo Pragenſe, Dn. Legati Principis
Camerario Germanico.

NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOHANNIS ZIEGERI.
Anno 1689

AUGUSTISSIMÆ COELI IMPERATRICI,
GLORIOSISSIMÆ MATRI VIRGINI,
SANCTISSIMÆ DEI GENITRICI

MARIÆ,

In ſua Czaſtachovienſi Imagine Thaumaturgæ,

DÆMONUM CONCULCATRICI,
INFERNALIS DRACONIS VICTRICI,
ENERGUMENORUM LIBERATRICI,
MISERORUM HOMINUM CONSOLATRICI,

Sub cujus beatiſſimis Auſpiciis iter hoc peractum eſt

HONORI & GLORIÆ

D. D. C.

SUÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI

Profundiſſimè inclinatus Servorum minimus

BERNHARDUS TANNER.

BENE-

BENEVOLO ET CURIOSO LECTORI SALUTEM.

SUpervacaneum duco, Lector Benevole, rem multis retrò ſæculis uſitatam commendare, id eſt: Peregrinationi Encomium ſcribere. Paucis accipe, præclarum illud Iſocratis de peregrinatione præceptum; Non pigeat quantumvis magnum iter ſuſcipere, etiam ad Barbaros, ſi poſſint te aliquid docere. *Turpe profectò foret tanta maria transnavigare pauxilli lucri gratiâ, nec terreſtre iter velle ingredi, ut mentem ornatiorem, politioremq; reddat.*

Ego equidem ſemper in eâ fui ſententiâ, veram eruditionis & prudentiæ laudem non ex libris tantùm, ſed ex uſu etiam & experientiâ, tanquam rerum omnium optima Magiſtra quærendam eſſe. Non igitur ii tantùm ſapientes ſunt, qui literis inſtituti, ſcientiæ titulum ſibi vendicant, ſed multò magis etiam illi, qui omnibus aliis poſthabitis variam rerum ſortem experti, diuq; multumq; extra patriam verſati diverſarum Regionum, ſtatuum, hominumq; mores edocti, varia vitæ exempla, aliaq; miranda, quæ peregrinantibus ſeſe offerunt, inſpexerunt.

Hoc conſiderato Iſocratis conſilio, peragratâ primùm Germaniâ, Italiaq;, oneroſam ſanè ac periculoſam in minùs cultam ſeptentrionalem plagam, Ruſſiam ac Moſcoviam ſuſcepi excurſionem, cujus Epitomen luci publicæ dare tandem decrevi, ab amicis ità volentibus, extortam.

De Argumento Barbaro, nec novo, nec ad elegentiam ſtyli elaborato, mecum, Benevole Lector, ne contendas, rogito; ſat bonum enim eſt etiam linguâ calamoq; Barbarum ſcriptorem ſuſcipere, dummodo poſſit te aliquid docere, *nam ut veſtis nec à pretio, nec à concinnitate ſemper æſtimanda eſt, ſed potiùs utilitate, ſic ſcriptum hoc, tuo ſolùm bono, publicatum tuis ut inſerviat uſibus, volo, fruere eo Benigne Lector, & Authori fave.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

Caput 1. Iter Pragâ usq; Warsaviam.
Caput 2. Iter Vilnam, ac inde ad comitia.
Caput 3. Impeditum iter in Turciam.
Caput 4. Accessus ad Aulam Legati in Moscoviam.
Caput 5. Legationis apparatus.
Caput 6. Iter Legatorum usq; ad confinia Moscoviæ.
Caput 7. Ingressus in Moscoviam per Smolensko.
Caput 8. Iter ex Smolensko in interiora Moscoviæ.
Caput 9. Iter ex urbe Wiasmo versus Moscuam.
Caput 10. Ingressus magnificus Moscuam.
Capnt 11. Palatium Legatorum & primus aditus ad Czarum.
Caput 12. Epulæ Moscoviticæ.
Caput 13. Moscuæ descriptio.
§. 1. Krimgorod.
§. 2. Kitaigorod.
§. 3. Bialgorod.
§. 4. Zemlenigorod.
§. 5. Strelecka Sloboda.
Caput 14. Germanorum urbs Kukui.
Caput 15. Legatorum in Senatu Czari acta.
Caput 16. Pacta inter Moscos & Polonos jurata.
Caput 17. Inconstantia Moscorum, & Czehrinum à Turcis occupatum: Benedictio fluminis.
Caput 18. Juramentum Czari, & finis Legationis.
Caput 19. Mores Moscorum & terræ constitutio.
Caput 20. Reditus ex Moscovia usq; Smolensko.
Caput 21. Reditus ex Smolensko per Lithuaniam.
Caput 22. Reditus per Poloniam in Bohemiam.
Caput 23. De nupero tumultu Moscuæ.

LEGA-

LEGATIO POLONO-LITHWANICA *IN* MOSCOVIAM.

Potentissimi Regis Polonicæ & totius Reipublicæ mandato

ANNO MDCLXXVIII.

Feliciter suscepta.

CAPUT I.

De Itinere Pragâ Warssaviam.

QVi semel animo meo insederat peregrè proficiscendi ardor, irremissâ stimulorum vehementiâ fecit, ut post visitatam prius Anno Jubilæo Italiam, iterum Anno MDC LXXVI. Pragâ, & Boëmiâ Patria meâ excedere, & ad procul remotos terrarum secessus proficisci decreverim. Die igitur sextâ Junii, dicto amico vale cognatis, & necessariis meis, cujusdam Canonici Warssaviensis lateri adhæsi comes, eoq; duce per Reginæ-hradecium, Glacium, ac tum in Silesia per Wratislaviam Brigam, Oppolium, Tarnovicium, aliásq; civitates, ad arenosa Poloniæ confinia, ac demum Cracoviam Poloniæ Metropolim deveni. Urbs hæc Pragâ septuaginta duobus milliaribus dissita, Arcis Regiæ Majestate, aliorumq; ædificiorum, ac templorum magnifico eminus aspectu superbit, intus verò immodicâ luti, sordiumq; per compita, grandi copiâ nimiùm est deturpata, pervetustis

munita muris, amplis præcincta suburbiis, vastam in sublimi Arcem illam Regiam, flumine Vistulâ præcinctam, mænibusq; ac reliquo apparatu bellico, in Urbis totius etiam præsidium, egregiè instructam suspicit.

Ecclesias habet mole, fabricâ, apparatu sacro pretiosissimo, spectabiles, quas inter Cathedralis in Castro regio S. Stanislai Episcopi, & Martyris Titulo, sacrisq; ejus exuviis, atq; ad easdem voti causâ copiosis pretiosisq; anathematis magnificè eminet, sit etiamsi structuræ perantiquæ & obscura satis.

Secunda ab hac, Mariana Ædes Parochialis fori frontem fronte suâ, turriq;, & horologio exornat; intus verò tum in aris, tum in reliqua templi supellectile pretiosus nitor, omnium ad se oculos, & animos piâ quâdam violentiâ itâ attrahit, ut populo quàm creberrimè sit refertissima. Illud admirationem majorem meretur, quòd qvisqvis à malo genio obsessus (patrio dicitur sermone *opentanii*) Ædem hanc ingreditur, mox signo aliquo (licèt antehac patuerit nulli) dignoscatur.

Visitur verò in Gente hac insolita Energumenorum copia, quorum etiam humi collabentium, (quandoq; etiam eleemosynæ comparandæ causâ fictè Energumenum amictum induentium) inconditis clamoribus, & fora personant, & templa. Quo fit, ut dum Mysta ad aram Domini nostri Corpus populo videndum præbet, horrisonis stridoribus, hinnitibus, ejulatibus, atq; omnigenis belluas imitantibus clamoribus, perstrepant omnia ad horrorem.

Quæ quidem miserorum copia, eò minùs admiranda videtur, quòd notum sit, nihil Genti huic esse usitatius, quàm etiam suo familiari, si seu facto, seu verbo se læsum existimet, morbos pessimos ipsumq; malorum omnium maximum dæmonem, in corpus hospitem imprecari. Bug dai, Zebiz sto dziabluno sjad. Deus det, centum Diabolos devores.

Medio Cracoviensis fori loco, spectandam sese exhibet, & magnitudine, & extimo, intimoq; decore conspicua urbis Curia. Hanc copiosi circumsident varii generis opulenti Mercatores, in cœni medio tabernas suas decenti ordine locantes.

Forum

Forum hoc, Cracoviam advenæ vix subivimus, in Principis Radzivil ædibus hospitium quæsituri, en, repenta rixa inter militum turbam exoritur. Triste fuit spectaculum, infelix ille, qui ad necem petebatur, è turba miles; dum enim quod manu gestabat, ad tuendum sese adversum multorum impetus, Berdisz (securis per quam acris aciei genus est) à prævalente adversario incautus extorqueri sibi patitur, ab ejusdem barbara dextra accepto suâ ipsius securi in caput ictu valido, corruit miser, ferosq; inter crudelis turbæ plausus, ultimùm ingemuit. Raptatur hic exanimis sanguine suo cruentus, inq; pallio suo involutus ex urbe effertur, terræq; infoditur. Attonitus adstiti ob crudelem hanc libertatem, cùm homicidam impium, nec carceri mancipatum, medio urbis foro libere consistentem conspicerem & cum quæstiones quasdam ob hanc audaciam proposuissem, responsum tuli, hanc esse libertatem Polonam.

Hîc jam duorum omnino mensium moras mihi injecit ille viæ comes, antè venerandus, sed ob mores in scelera commutatos, (quibus tandem ad apostasiam adductus, cum aliena Uxore ad hæreticos profugit,) imposterum detestabilis, fecit ut abrupto ejus consortio ab Illustrissimo Casimiro Menczinski receptus, ab eoq; Juniori Bielinski Regni Ensiferi filio commendatus in ejusdem obsequiis Warssaviam abiverim.

Undecimâ mensis Augusti Czastahovium ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Cœnobium Thaumaturga Beatissimæ Virginis imagine celeberrimum locum, quem Saxis natura probè munivit inq; altum elevavit milliaribus undecim Cracoviâ dissitum, intravimus. Est castrum illud etiam arte, & perpetuis numerosi militis excubiis belle munitum; sed præcipuè Sanctissimæ Virginis Deiparæ præsidio securum, cujus Basilicam stupendâ mole, turriq; spectabilem in umbilico habet. Nemo, credo, est, quem verax fama lateat de copiosissimis maximisq; prodigiis, quæ Deus ad Marianam ibi iconem patrare dignatur; Hujus Apellem, tabella quædam eodem loco appensa, refert, Divum Lucam fuisse, idque in illa ipsa, in qua etiamnum hodie visitur, Cupressina mensula, quæ sacerrimæ Virgini Matri, post cosummatum à Redemptore Filio passionis tempus, in usibus fuerat. A 2 Actum

Actum igitur agerem, si decantatam vulgo, & miraculorum ibi patratorum multitudinem, & thesaurorum pleno piorum sinu effusorum gazas enumerarem. Unum ibidem prima inter cimelia numeratur pondo 14. puri auri librarum pro SS. Eucharistia ferculum (Monstrantiam usus nominat) quod tum ob singularem artificis manum, tum ob orientalium lapidum pretiosam copiam, tanti æstimatur pretii, ut centenis omnino millibus Thalerorum æquipollere affirmetur.

Una ibi nos in obsequiis Marianis tenuit dies, tum cursum itineris prosequentes ad præfixum nobis scopum Warsaviam properavimus, & confecto 42. milliarium spatio, spectandas se nobis exhibuêre, beneq; sperare jussêre sublimiores Urbis turres, Quæ Magnificam innuebant domuum, totiusq; Urbis dignitatem. Quid, quid tamen Urbis est, sex majoribus plateis unoq; foro, mœnibus pervetustis cinctum constat. Hujus Warsaviæ Urbis dignitatem haud parum auget præurbii non vulgaris, nec indecora amplitudo (Cracoviense audit ab indigenis) ibiq; ad elegantiam erecta visuntur Magnatum Palatia, hortorum rara amœnitas, & in his multùm celebratæ Hydrotechnices machinæ. Vix Urbem mecum ingressus, meus ille viæ Dux juvenis Dominus Bielinski, primos ad Illustrissimum Genitorem suum Regni Ensiferum gressus contulit, méq; servitiis suis recèns addictum esse nunciavit; mox me in obsequiis retinere penitùs detrectaüit genitor, ità ut à filio, ejusq; animo in me aliàs quàm propensissimo avelli sim coactus. Hic jam derelictum ab omnibus, benigna Numinis Providentia ad Illustrissimum Kotovicz Castellanam Vilnensem deduxit, qui pro sua in peregrinos hospitalitate, & animi excelsi Nobilitate, me non ignobilibus obsequiis suis adhibitum, non egenum servavit, & quò eum privata evocabant Comitia, Vilnam viæ asseclam seligere non dubitavit. Qui quidem Magnificus Heros, quia Magnam Germaniæ partem, atq; etiam Boëmiam peragraverat, ex ea rerum notitia etiam Patriæ meæ conceperat æstimationem.

CAPUT II.

Iter Vilnam, ac indè ad Comitia.

ITer ingressis nullæ occurrêre Urbes splendidæ, Una in reliquarum comparatione memoranda venit Praga Civitas (si Loretanam sacram ædem, consuetâ normâ erectam, excipias) penè dixerim lignea, quales & omnes reliquæ, quas per id itineris pervadere contigit, Urbeculæ & oppida fuerunt. Verum, primò statim Vistula fluvius, qui Warsaviam ipsam allambens Dantisci in mare se præcipitat, trajiciendus nobis obvenerat.

Viginti sex milliarium iter emensis, obtulit sese Tikoczin Urbs pariter domibus ligneis, ac perfida imprimis Judæorum turbâ refertissima, Narew flumine Lithuaniæ, & vetusto quodam propugnaculo ad marginem vicini lacûs erecto, nonnihil munita.

Quindecim ab hoc milliaribus, postquam Niemem rapacem fluvium, non sine præsenti vitæ periculo superâssemus; Grodnam Urbem nos advenisse gavisi sumus. Est verò Niemen fluvius ejus loci incolis longè infamissimus; multorum enim retro annorum experientiâ deprehensum est, denos ad minimùm quotannis, quin etiam à veteri memoria, quinquies denos homines mergi solere. Neq; nobis in medio ejus positis tutos omnino esse licuit, quando enim more Polonico ephippiis equorum in navim sepositis ponè se, navi insidentes, aquis innatantes traducebamus equos, unus eorum petulciens, inq; navim insiliens, inquieto suo pondere illud aggravavit, agitatavitq; ut in profundum jam vergeret navis, fecitq; sic, ut omnes aquis præfocati fuissemus, nisi opportuno consilio, eqvum illum fræno liberum, ad ripam fluminis remeare permisissemus.

Urbs Grodna, qvam memoravi, non ignobilis quondam, verùm à Marte Moscovitico in eas dejecta est ruinas, ut non Urbs sed Urbis rudera hodienum superesse videantur. Atq; hîc Illustrissimus Patronus meus, quo loco filium suum haberet, palàm fecit, quando prænobili dignitate Starostæ (nos Capitaneatum dicemus) sese ipsum exuens, eâ Magnificam Sobolem suam insignivit.

vit. Hic verò videre licuit epularum lauditias, quæ prima Octobris trium omninò dierum otio, tanto peractæ sunt splendore, ut quaslibet cupedias Polono palato faventiores, non ad voluptatem solùm proposuerit liberalitati animi correspondens magnifica penus, verùm etiam ad superfluam profudisse visa sit abundantiam. Neque profusæ huic hospitalitati, cui affluxêre omnia, hospitum deerat copia, utpote, quibus non triclinia solùm, sed & atria Domûs etiam non suffectura videbantur. Hanc hospitum Nobilium turbam, à magnificis cæteroquin separatam Capitibus, jam somno vinoq; sepultam, eò prostravit tumulentus sopor, ut humine an sublimè quiescerent, tunc nihil pensi habens non scamnis modò, verùm & angulis sub scamnis thori loco uterentur.

Grodnâ, ad ea quorum causâ iter susceptū est, Comitia, Vilnam movimus decimâ Octava Octobris, confectoq; viginti quatuor milliarium spatio, Vilnam subivimus. Itineri intentis nobis non nihil morarum injecit, ferale spectaculum, Locus milliaribus quatuordecim Grodnâ semotus. Horrenda enim ibi pinetorum facies gloriosam quondam Urbis magnificentiam inspectantibus in memoriam nobis reduxit, nam vallis non modicè profunda, ac in ipsa valle pineta & densa arbusta sub quibus quandoq; adhuc lebetes, ferramenta, pecunia, aliáq; scruta effodiuntur, præteritam Urbis amplitudinem hoc ipso in loco circumscribunt. Hac de re ità antiquitatis Lythuanicæ loqvuntur fasti. Hîc Urbs fuit, nec superest Urbis aliquid, nisi locus. Erat Respublica scelestorum civium; nunc est sylva Pinorum: in profundum absorpta est amplitudo Urbis. Ut portarentur à Civitate, digni non erant Cives; ut à terra portaretur, digna non erat Civitas; utrúmq; missum est sub terram, ne amplius appareret indigna fœditas.

Vilna Lythuaniæ Metropolis, ab hostili Moscoviæ ferro, non nihil accisa; verumtamen ob multorum ejus soli Urbium invidendum splendorem à prædivitum Magni Ducatûs Ministrorum, superborum Domuum reliquorumq; Architectonicorum operum magnificentiam, satis decora est. Non postremò hîc memoranda venit Cathedralis Basilica à Thesaurorum pretio æstimanda, & quàm maximè à Sacris totius Corporis Sancti Casimiri Polonia-rum

rum Regis filii reliquiis veneranda, cujus Beatissimi Principis venerabilis Icon, quæ prima inter ejusdem Basilicæ cimelia numeratur, dúas dextras manus lilia præferentes prodigiosè ostendit, quia unam dexteram informiter à Socio suo depictam dum corrigere & abolere, ejusq; loco aliam aptè & concinnè substituere voluit Pictor eruditus, nullo pacto efficere potuit, quin die insequente utraq; manus, & in utraq; lilium appareret. Sunt & aliæ Catholicorum Sacris dicatæ Basilicæ, cæteroquin nobiles illæ quidem; at Lutheranorum, Calvinistarum, Schismaticorum templis, Judæorumq; Synagogis commixtæ.

Totum hujus Urbis Territorium, Palatino Vilnensi, (qui & Magni Ducatûs Lythuaniæ Generalissimus est) gubernandum subditur. Dignitatem hanc eo tempore obtinebat Excellentissimus Dominus Pacz, familiæ orbi notæ insigne decus: duos adhuc numerabat fratres, quorum unus demortuâ Uxore suâ, Episcopus dein Vilnensis creatus est; alter Cancellarii in eodem magno Ducatu dignitate gaudebat.

Accidit, ut eo planè tempore (quem hodie Beatissimum veneramur) ad Ecclesiæ clavum delectum esse, fama tulerit Innocentium XI. Multa hic Urbis Antistitem cura tenuit, Romano-Catholico Capiti applaudendi. Fecit itaq;, in propatulo Urbis loco obeliscum Romanis quàm simillimum, in sublime porrigi, ac desuper Neo-Papæ beatissimum nomen succensis Pyrobolis illustrari, festivum sonantibus tubarum tympanorumq; applausibus, succensis quoq; vice ternâ buccinis, seu grandioribus fistulis æreis.

Exspirantibus, quorum gratiâ Vilnam adijmus, Comitiis privatis, ad universalia totiq; Regno communia, reliqos inter Senatores Illustrissium meum venire jussit Respublica, atq; ità Warsaviam rursum sumus regressi. Alta jam aderat hyems, quæ, qui trajiciendi fuerant constrinxit fluvios, ut absq; offendiculo tutis nobis datum sit cæptum iter remetiri. Seipsam admirari visa est Warsavia, quando adventus nostri insignem comitatum & Magnificum Senatorum chorum, inq; equis subsultantem innumeram propè Polonæ Nobilitatis Catervam, & spectavit, & honoravit. Suum hic habuêre theatrum Gloriæ, Palatini, tam singulari in se suisq;

suisq; vestium splendore, quàm in Ministrorum copia ad invidiam æmulantes, qvo feriis singulis, ordine ad regias ædes progrediebantur, ut partim subsequa, partim currum ambiens ministrorum, armatorumque aut Dragonerorum, aut Patrio more Haidonum turba, eam prætulerit faciem, quam ne zoilus quidem carpere attentârit. Deducebatur in locum Comitiorum à Regni Primatibus quàm honorificientissimè curru auro, argentoq; ac arte supra æstimationem magnificentissimo, sua Majestas Rex Poloniæ, qui ubi solium Regium implevit, laiique pro sua singulari dignitate consederunt, tunc demum negotia publica excutiebantur eo successu, ut nunquam sine clamosis altercationibus discederetur. Hinc quæ decimâ quartâ Januarii cæpere comitia, ad solennes usq; Paschæ ferias, sunt protelata. Neq; ea temporis protracti mora scissis incontraria studia consessibus imposuisset finem, nisi Regis Providentia, Diebus noctibusq; binis, eodem atrio inclusos Regni Arbitros, ad conficienda, quæ supererant omnia, insolito eo perurgendi modo coëgisset.

Id quoq; obtinet in Polonia, Comitiorum usus, ut dum Regni Senatores, & Proceres, verbis digladiantur in Regia curia, famulorum interim amatorum cohortes, in subjecta area inconditos inter tumultus, & clamores, arma exerant, præsertim vino cremato succensi, ut rarò sine cædibus, rarius à vulneribus genarum (ad dissectionem enim genarum potissimum collimat framearum dexteritas) & à sangvinis profusione finiantur.

Caput III.

Impeditum iter in Turciam.

Tandem ergò post per tractata negotia finitaq; Comitiorum dissidia, eam, quæ in subjectas Regno ditiones ferenda est, sententiam, quantocyus ad easdem deferri, tum etiam optatum congressuum finem circumsitis nuntiari Monarchis jussit Respublica. Denominatus itaq; est, ad eam, quæ primo honoranda erat, sedem Apostolicam, Ablegatus, simul, & ad Augustissimum

mum Romanorum Imperatorem, Celsissimus Princeps Radzivil. Ad Potentem Turcarum Tyrannum Excellentissimus Palatinus Chelmensis. Ad Magnum Czar in Moscovia, Celsissimus Princeps Michaël Czartorysky, Palatinus Wolhiniæ. Ego cùm tot tantasq; Legationes à Republica Polona, ad exteras nationes expediendas percepissem, mea quóq; hinc proficiscendi cupido, ulterius iter amplecti, terrásq; remotiores invisere accensa est. Qua propter Aulæ Excellentissimi Palatini Chelmensis Legati in Turciam, innotescere attentavi, cum quo Turcicas, sanè animo meo exoptabiles perlustrâssem Provincias, nisi mihi mox enarranda infortunii quædam adversitas paucis ante Legati abitum diebus, evenisset. Etenim Illustrissimi Sappiæ Thesaurarii Magni Ducatûs Lythuaniæ, aula tunc temporis in præurbio Cracoviensi habitantis, Ministri, nescio quo fato absq; omni eis data iræ causa, obvium me frameis invasêre, quibus equidem sat tremulum gladium in defensionem meam opposui, ast videns majorem contra me framearum numerum vibrari, ad salvandam vitam in cujusdam Sartoris Poloni domum insilivi. Attamen insequentes me irati & hanc domum invadere, fenestrasq; disjicere cœperunt. Ferrea quidem infenestris cratis insultum furentium prohibens, exoptato munimento mihi fuit; ast nec tamen hîc securus fui: per ipsas enim crates adeò me lapidibus obruerunt, ut cumulus lapidum ad medium usq; corpus meum accreverit; ubi toto corpore concussus, inter spem & metum positus, nec sensi ex ictibus dolorem. Interea ubi jam de vita mea desperavi, uno lapide grandiori tactus sum, crescente calamitate, & tumultu illo unam ultra & dimidiam horam durante, etiam obviis in rixas se miscentibus, missa est ad sedandum horum furorem Regia Quardia, & ecce utrinq; magna strages & plurium cædes ex eo oborta est. Nihilominus quodam muro, quo aliud ostium ad illud, in quo eram cubiculum, obstruebatur, perfracto, novo lapidum imbre me invaserunt. Tactus in fronte, (cujus cicatricem ad mortem retinebo) corrui exanimis, Tum verò irruentes per illum, quo Cinctus fueram, cumulum lapideum me per capillos extraxerunt foras, ubi ad sensum redii, vidi me ab uno raptari capillis per

B totam

totam ibi aream, qui tamen (mirum!) altera manu evaginata framea, me semiexanimem misertus, defendebat ab aliorum frameis, quamvis non potuerit, quin duo vulnera in capite, & unum in manu acceperim. Ipse tamen occasionem præbuit, ut in Ecclesiam Sancti Spiritûs mœnibus adsitam, insilire potuerim, ubi etiam gratiarum actorias preces DEO ter optimo Maximo, Angeloq; Custodi persolvi, tumultu per plateas adhuc usq; ad decem circiter personarum occisionem perseverante. Ob hanc ergo concussionem tum lapidum, tum framearum, sex septimanarum spatio coactus sum, uno eodemq; in loco, ad recuperandam sanitatem requiescere. Quievit corpus, verùm adhuc animus stimulabatur, & acceptis licet hisce Polonorum bellariis, plura experiri statuit optima occasione ulterius invitante; ità, ut jam cum Legato in Turciam, meum proficiscendi ardorem, in Moschovia refrigerandum decreverim. Quapropter prostatus adhuc, curavi eâ, quâ par erat, humanitate, & animi grati contestatione discedenti jam Excellentissimo Chelmensi valedici, ac Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo septimo, die decimâ nonâ Maji Magnificæ Celsissimi Principis Czartoryski, Aulæ accessi, Camerarii munus ibidem obiturus.

CAP. IV.

Accessus ad Aulam Legati in Moschoviam.

CUm hoc Legato Principe Schedlecium, quæ sedes ejus est, discessi: indè iterum cum eodem Principe ad quasdam Nuptias invitato, Warsaviam profectus, cum eodem etiam Schedlecium redii per Lukow nonâ Julij.

Lukow civitas milliaribus à Warsavia quatuor sita, ligneis potissimùm constat domibus. Hîc & forum est & compita, & totam denique viciniam Lukovienses Nobiles quia obsident, idcirco Polono Idiomate: Drobna Sslachta Lukowska suevit compellari. Hîc festivis nos excipere ignibus videri poterant Judæi, (quorum inutile pondus, multam fori faciem gravat) quando casas suas, casu nescio quo igni succensas nobis incolisq; reliquis specta-

spectabilies fecêre. Risum moverem, si vociferationum inconditos sonitus, illataq; ibidem ab indignantibus Christianis verbera, quibus mulctati sunt, narrationi accenserem. Unum de perfidæ gentis in Provinciis hisce conditione memorandum, nimirum eos, pleraq; diversoria obtinere, ità ut, quàquà pergendum erat, Caupones ubiq; invenerimus solos & meros Judæos.

Tredecim Milliarium exantlatis incommodis, in Levartow Civitatem Principis Wisznioveczky arci adsitam optatè appulimus. Hinc tribus duntaxat milliaribus Niemczepagum transeundo, tandem Jacubovicium Villam Principis mei nacti sumus, unde Dominum nostrum devotionis causâ Lublinum comitati, mox rursum Jacubovicium, repetivimus.

Primis Provinciæ hujus Urbibus accenseri potest Lublinum, Urbs, mœnibus cincta, quæ etsi parva sit, muratis tamen suburbiorum à solis ferè merisq; Judæis habitatorum circulis coronata est undique; quorum alterum Cracoviensis alterum Warsaviensis nomen obtinuit, à via, ut opinor, ad præfatas Urbes ducente, derivatum. Ob decorem duplicem Urbs hæc commendanda est, magnificentiam nimirum ædium, & sumptuositatem Basilicarum quas inter primas obtinet præcelsa ornatissimaq; PP. Prædicatorum Basilica, cui splendorem præcipuum addit, non modica portio de salutifera cruce Redemptoris nostri, quam è Schismaticorum Provinciis uspiam clam ablatam dum Cœnobita quispiam itidem Schismaticus, aliò asportaturus Lublinium transibat, sensit ità loco huic affixam, ut nullâ amplius humanâ vi amoveri potuerit; ita, ut hodienum ingentem hunc salvifici ligni thesaurũ ibidem possideant. Continuus deinde sacri hujus cimelii cultus, non indecorum erigi fecit sacellum, quod etiamnum hodie nunquam interruptæ deservit devotioni.

Lustratis itaq; iis, quæ lustranda id loci fama commendaverat, die Augusti mensis nonâ, iter Danischovium (prædium est Principis mei eo tempore heri) vertere jubemur. Eo intransitu Pietrovin, quæ ad Vistulam flumen sita est Civitas, contento cursu obtinuimus; ubi tempellum perelegans, Divo Stanislao Sacrum, memoriam conservat ingentis illius miraculi, quo Sanctus

illeEpiſcopus, poſtquam à Boleſlao Rege accuſatus fuiſſet injuſtæ Villæ cujusdam poſſeſſionis, in ſuæ teſtimonium innocentiæ, ibi hominem nobilem, triennio ante humatum Petrum Pietrovin dictum,ad vitam revocavit, Regis Senatusq; conſpectui ſtitit; qui dato publicè teſtimonio, poſſeſſionem illam quondam ſuam, eſſe legitimè S. Stanislao à ſe venditam, rurſus ad ſepulchrum rediit, ſecundò defunctus. Prodigium hoc, ne labili hominum evaneſceret memoriâ, æterno marmori ibidem inciſum legitur ſequentibus.

Hìc
triennis cadaveris oſſa
Magni ad vocem ſacerdotis
Naturâ orbéq; admirantibus
vivifica reſurgunt.
Chriſtiquæ Patrimonium mortuorum teſtimonio
vindicatur.
Heus quis-quis es,
Qui facultates altarium Sacrilegè
rapis, detines, uſurpas,
ſpectà, redde, cave,

Perſoluto, ut par erat, religionis cultu in loco hoc ſacro, trajiciendum flumen Viſtulam ſuſcepimus, tandémque Danischovio potiti, profectioni huic terminum impoſuimus.

Verùm,quod exfortunato inpropria adventu celebravêre gaudium uterq; Princeps Conjunx,triſti de peſtifera Warsſaviæ contagione nuntio,minutum eſt,utCelſiſſima conjux amaris lacrymis viſa ſit teſtari metum, ne ea peſte periret pretioſa ſoboles, domûs Celſisſimæ ſpes unica,Filius in ea Urbe educandus, amicorum curæ relictus. Induxit ergo in animum, rurſus Warſſaviam regredi, pauculis comitata, quos inter, & ego, penum diſpenſare juſſus.

Die Auguſti duodecimâ,navalem reditum orſi,primum Caſimiriam(Urbs eſt muro lapideo circumdata ripæ Viſtulæ adſita,ubi ab appulſis mercibus telonium tribuere mos eſt) attigimus, nulli tamen exſcendere permiſſum, ob eundem contagionis metum.

Proſpeximus hîc à dextra fluminis parte Pulavii Caſtrum, ſplendidum, & à circumjacentium hortorum amœnitate delicioſum, quod unum ex primariis Celſiſſimi Principis Lubomirzski ſupremi Regni Mareſchalli poſſeſſionibus numeratur; tum verò hinc Tanzicza Civitas è lignis compacta; inde Gura itidem civitas, eaq; muralis, quæ ex eo,qui ripæ ſublimis adſtat, monte, latè patentem terræ, fluminisq; viciniam deſpicit, videndas ſeſe præbuêre. Atq; hîc tandem accepto certo de loci ſalubritate teſtimonio calcare humum conceſſum, feſtâ luce Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis,ad eidem debitum hyperduliæ cultum perſolvendum in Reformatorum Patrum Franciſcanorum Baſilica, ubi & Sancti Valeriani corpus,pretioſo monumento reconditum, venerati ſumus.

Mox reſumpto navali itinere, poſt 24. milliaria, Warsſaviam videre licuit, non adire; dum opportunè unus è ſervis ejus, quem ablaturi aderamus junioris Principis ex Urbe advolat: eum procul à periculo duobus indè milliaribus ſecurum cum Nutricibus degere nunciat, ſimulq; ingentem à peſte ſtragem intra Urbem enarrat, ut lacrymas commiſeratæ Principi excuſſerit.

Mox ſine ulla mora, ſtatim Filii veſtigia ſecuta eſt,relicto nobis ſeveriſſimo, ne ullus navi egrederetur mandato: die ſequenti cum Filio Caſimiro redux,navim juſſit trahi adverſo flumine, donec die abhinc duodecimâ, quæ erat Sancto Bartholomæo ſacra, Daniſchovium, ad Principem redivimus.

Hinc profundo jam Octobri,rurſus Schedlecium per Lewartow, ac tum per flumen Wieprz moventes in Urbe Czemerniki à Koſacis vaſtata,ab opulento loci Toparcha,hoſpites gratisſimi per humaniter recepti, lautè diem noctemq; tranſegimus.

Caſtrum ibi relictum,quod ad hoſtium reprimendos furores exſtructum & à late circumflua aqua, & à multiplici murorum corona, & à bellicis machinis copioſis, ſupra communem ſplendorem & morem inſtructisſimum & munitisſimum viſa mihi eſt interior caſtri, eorumq;, quibus recepti ſumus cubilium facies,tantus enim aulæorum, picturarum, reliquorumque ornatuum viſebatur apparatus, ut quantos reliquis in arcibus aulicos videre contigit ſplendores, jn unam hanc collati eſſe omnes viderentur.

Cùm die iter reſumpſimus, cremato priùs pro more, refecti,

 per

per rudera Civitatis, & Arcis Radczin, itidem à Kosacis relicta, profecti; in prægrandi Illustrissimi Domini Castellani Podlachiæ villa, planè hospitaliter toto triduo habiti, tandem Schedlecium nostrum pervenimus.

Aderat dies Memoriæ defunctorum sacer, quo Princeps omnibus totius Civitatis pauperibus congreatis, præter eleemosynam, etiam dedit epulum, cui ipsemet cum Celsissima Conjuge, ac Filio Casimiro, & Filia Sophia, humiliter inservivit.

Supervenit Regis Poloniæ epistola, causam explicans tam diu dilatæ Legationis, nempe metum, ne Turca missum ad se Legatum Palatinum Chelmensem, captivum duceret, offensus hâc ad Moschos Legatione: sed tamen alia postea in Festis Natalis Domini, Epistola Regia, jussit Legationem statim approperari.

Caput V.

Legationis Apparatus.

INterea, quæ ad procuranda in splendorem Legationis necessaria cum viginti circiter millibus florenorum Polonicorum, Wratislaviam Silesiorum ablegatus fuerat Dominus Obertinski Principis Thesaurarius, diebus hisce in columis reversus est, cum plaustris vario panni genere, bene onustis, & cum altero splendidissimè inaurato, altero itineri deserrituro, curribus, & 8. ex Frisia coëmtis caballis. Advocati Lublino, imò undeq; & undeq; Sartores plurimi, vix sufficiebant omnibus etiam infimis Aulæ asseclis, præter 60. desultorios equites, vestiendis.

Post peractas à piissimo Principe, devotè cum tota Aula ferias Domini Natalitias, ad impetrandum à Deo felix iter, datum est 24. pauperibus prandium cum larga stipe: ac tum trahis, ob copiosas nives, omnia, etiam ipsi currus imposita, cùm ecce tanto conatu se mihi, ne â Principe ad comitatum, ut pote alienigena, præ Polonis itineris illius avidissimis admitterer, opposuerunt plurimi, ut desperatum fuerit, nisi mihi benignissima, & ob nota sibi fidelia mea obsequia, faventissima Princeps, vehementibus meis precibus inclinata, potentissimè intervenisset. Præpositus igitur

igitur sum curandæ per totū iter supellectili lineæ toti aulæ dispensandæ: & sic post vale mœstissimæ, ac lacrymis diffluenti Principi dictum, itineri se nobiscum dedit Celsissimus Legatus Princeps Michaël Czartorysky, qui Majestatem Reipublicæ Polonæ, pro eo, ac par erat, tuiturus, congruum tantæ Legationi assumpsit comitatum, quibus omnibus, etiam Ministrorum suorum servis, singulis Sabbatis stipendium ad victum, & ad pabulum pro equis comparandum persolvebat toto tempore. Omnium nomina, & munera, ut & ordinem, quantum memoriæ in hæsit adhuc, recensebo.

Celsissimus Princeps Michaël Czartorysky, Dux in Klewan, & cum illo Palatinus Woliniæ, eidem currui insidebat, Dominus Ferendini Doctor, Medicus Urbis Lublini, patriâ Florentinus, & corpori Principis curando, & animo interviæ tœdia relaxando adhunc locum assumptus. Reverendus Pater Thomas Schvan, Ordinis Prædicatorum, Aulæ Capellanus, curru & equis, vehebatur seorsim, famulumq; suum habuit.

Hunc sequebatur Dominus Kaznowski, Equitum Husarorum Capitaneus, leviori curru vectus, equis duobus, alios duos ad equitandum ponè ducentibus, famulis duobus.

Subsequa tunc progrediebatur Nobilitas Polona, (Towaristwo vocant) familiariter, & lautè à Principe haberi solita, etiam in eadem secum mensa.

Ex his Volones honorarii fuerunt.

Perillustris Dominus Oborski. Perillustris Dominus Olenski. Perillustris Dominus Tinicki. Nobilis Dominus Sokolovski. Nobilis Dominus Kobilinski.	Sex equis, tribusque famulis unius cujusvis constabat comitatus.

Husarorum Præfecti.

Nobilis Dominus Chrinicki. Nobilis Dominus Menschinski. Nobilis Dominus Holub. Nobilis Dominus Savicz. Nobilis Dominus Portanti.	Cum equis & famulis quisq; pro statu suo.

Aulæ

Aulæ Primarii Miniſtri.

Perilluſtris D. Buinovvski, Vice-Palatinus aulæ Præfectus, & Marſchalcus, venerabilis à canitie, prudentiâ, & gravitate.

Nobilis D. Gumowski, aulæ Secretarius. Nob. D. Joſephus Jaſchilkowski, Stabuli Præfectus. Nob. D. Joannes Obertinski, Theſaurarius, & Polonicorum Cubiculariorum Præfectus. Nob. Dominus Joannes Radzimin, Præfectus Equis Honorariis. Nob. D. Golinski, Culinæ Præfectus.	Omnes cum equis & famulis pro ſtatu.

Miniſtri, Principis Ordinarii.

Nobilis D. Zbrozek Nob. D. Olſchevski. Nob. D. Dombrovski. Nob. D. Lupa. Nob. D. Chachulski. Nob. D. Sadovski. Nob. D. Luskina.	Singuli cum equis tribus & famulo uno.

Sequebar ego: Bernhardus Leopoldus Franciſcus Tanner, Camerarius Principis Germanicus, mihiq; liberum datum, ſeu curru, ſeu parippo Principis vehi.

Cubicularii Poloni.

Nob. D. Alexander Koscinski, Scriba. Nob. D. Czudenovicz, Taxator expenſarum. Nob. D. Schimanovski. Nob. D. Zielinski. Nob. D. Kaminski. Nob. D. Nedzviecki. Nob. D. Gnoinski.	Singuli cum equis duobus, & famulo.

Reli-

Reliqui Miniſtri.

Karski Drevinski. Olenski Ephebus. Simon Vielkovolski aulæ obſonator.	Singuli uno equo, contenti absque famulo.

Mechanici.

Joannes Chirurgus.
Clemens Præfectus abaci.
Joannes Sartor.
Stanislaus Carpentarius.
Caſimirus Piſtor.

Unica præterea fœmina Lotrix Uxor Aurigæ primarii.
His annexi Tubicines tres cum famulo.
Item Capitaneus cum Sexaginta Dragoneris.
Subſequi fuêre currus quàm plurimi quibus ſuppellectilia & impedimenta tanti comitatûs aliaq; neceſſaria devehebantur.

Inter hos præibant currus duo novi (vulgo Carrozæ) ſex equis ſinguli tracti; quatuor deinceps currus (Polonicè Karavan, Tevtonicè Rüſtwagen dicti:) ſex itidem equis provecti; totidem alii juncti fuêre prægrandi currui vaſa culinaria, cocósq; deferenti; ejuſdem ſortis alteri minori equi duo.

Ac denique octo equi generoſiſsimi ad manum ducti: octo etiam alii, qui ex Friſia adducti fuêre introitui in urbem ſerrituri absq; onere liberi omnes proceſsêre. Horum ductores ſimplicioribus inſidebant equis.

Curribus ſupra nominatis, præfuêre cuſtodiendis Haidones duodecim, viribus validi; qui diu, noctuq; tum in itinerispericulis, tum in Moſchoviâ ipſa, noſtri, noſtrorumq; omnium curâ ex officio ſuſceptâ per paria mutuo alternantes egêre vigiles, Primas vigilias ſubiverunt Januſz cum Janczi, robuſtus acprocerus utérque; hinc currum, quo Princeps vehebatur cuſtodiendum habebant. Secundas Caſimirs, & Holodevicz, hi meo adjuncti erant

 muneri

muneri. Tertias Budzilo,& Olſchanski potionis fratres dicti,quod potandi artem callerent optimè. Par Quartum Striga, & Procurat, quorum primus à nequitiarum, alter à jaculationis Dexteritate laudatus. Par Quintum, Januſz parvus, & Hubiczki, quorum probitas, quia perſpecta erat in plurimis, ad abacum Principis admittebantur ad ſerviendum. Par Sextum Jakubek, & Januſchek, quorum poſtremus,quia potando ſemper, ſerviendo parùm deditus, legatione redeunte ad confinia Lithwaniæ ab aula depulſus eſt. Reliqui conſtanti animo, fideliq; miniſterio Principem proſequebantur omnes. Univerſim in ea Legatione, una cum illis, qui poſtea cum Excellentisſimo D. Legato Lithwaniæ acceſsêre, numerum mille quingentorum facilè exceſsêre.

CAPUT VI.

Iter Legationis usq; ad confinia Moſchoviæ.

COmpoſito ità ad proficiſcendum ordine, poſt lautam in prandio refectionem, & mutuos valedictionis affectus, die Februarii undecimâ, Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimô octavô, horâ poſt meridiem tertiâ, faventibus Superis, incepta eſt profectio Schedletio, & quidem primo diè ſine Principe proficiſcentes Mordi Civitatem attigimus: Tempus veſpertinæ refectionis aderat, excitatus fuit à coquo pro cœna, exiguus ignis, qui nobis tamen ſatis negotii faceſſivit, ſiquidem ſcintilla camini fuliginem aggreſſa, incendium minabatur. Nos alacriter currus, equos, noſtráq; omnia periculo ſubduximus. Interim Haido Caſimirs intrepidæ mentis, Caminum aſcendens, ſerpentem ignem in orificio ſuffocavit, & ità tabernam è periculo incinerationis liberavit. Nos refectionis immemores, quieti nos dedimus.

Die alterâ tranſivimus Loſſice, civitatem exiguam, ubi jam ſchismatici Catholicis permixti. Duobus ab hinc milliaribus ſub noctem tandem aſſecutus nos eſt Princeps. Nives,quas copioſas eo tempore hyems ſparſerat,nóſq; ad conſcendendas trahas induxerat, veniente hac nocte inſperatâ temperiè, in aquas reſolutæ ſunt; ut ob impenetrabiles viæ difficultates ad Kornica pagum rotas curribus ad pergendum aptiùs, applicare nos coëgerint. Devenimus in Janovv Civitatem commodam, vallis ſat amplis circummunitam, quamvis domibus, quæ meliores videbantur, plerumq; Judæi potiantur. Hinc adhuc lutoſisſimâ viâ tranſeuntes Malova hora, tandem ſub veſperum appulimus Brzisc Litevski, emenſis jam ſedecim milliaribus.

Hæc Civitas á luto maximè memoranda,& ab immunda Judæorum fæce,ut ob eorundém copiamStolica Zidowſca,quaſiColonia Judaica ſueverit appellari,Perfidis his accedunt Schismatici, quorum complura hîc templa, domusq; mediocres. Hoſpitium Principe dignum adinvenire non potuimus, niſi Societatis JESU Collegium, ubi nos 14. & 15. Februarii, ſummâ humanitate tractârunt. Iter reſumturus Princeps, cùm aurigas, Haidones, aliósq; è turba militum mulſo,& cremato per popinas confectos,cerneret, ut vix equis, & curribus eſſent regendis, graviter ſtomachatus, juſſit aliquos eorum non leviter vapulare.

Hoſpitium eâ nocte præbuit Bratilow pagus. Inde jam ferè apud Judæos hoſpites divertendum erat, quia Domini Cauponas Polonis nolunt concredere, propter mulſi crematiq; cum tali Caupone Sympathiam, ac indè procedentem cum computoDominis faciendo antipathiam, cùm Judæos poſſint ad rationes reddendas ſeverè cogere. Inter hujus ergo gentis domeſticos fœtores, ſordésq; Judæis innatas, & prandendum & cumexigua quiete dormiendum erat.

Prusziana Civitas ſub meridiem nos accepit, & poſtea quia in villa ad multam commoditatem inſtructa recepti fuimus,quæ totâ illa 18. Februarii die tenuit, ubi copioſior jam erat numerus Schiſmaticorum, qui multorum opinione Curatorum negligentiâ multiplicantur.

Februarii decimâ nonâ Selce civitatem attigimus, amplam, ſed ligneam Judæis incolis refertisſimam, ubi & unum Lutheranorum fanum. Ubiq; grati hoſpites eramus; quamcunq; enim Civitatem tranſivimus, omnes, præſertim Judæi, neceſſaria, & commoda viæ, alii cerviſiam, alii mulſum, crematum, carnésve alii,

alii, etiam pro jumentis necessaria suppeditârunt. Hic verò (in Selce) urnam duplo Boëmicâ majorem cerevisiæ, coloris nigerrimi, saporis tamen boni, palatóq; gratissimi advexêre.

Inde per milliaria quatuor in Lossossin per densas sylvas difficili per radices arborum viâ devecti, unde prandiô refecti in Ruszanam Civitatem Illustrissimi Leonis Sappiæ pervenimus 20. Februarii, ubi præ reliquis, ejusmodi Civitatibus, multæ domus lapideæ templumq; magnificum spectantur. Rursum hîc, qui nuper, nos exterruit casus: ob defectum namque caminorum pro Principis aula habilium, frequenter sub atrii tecto ad instruendam cœnam ignem excitare coactus fuerat Culinæ Præfectus; & ecce rimulam scandulæ ad comburendum dispositæ insiliit simul ac corripuit scintilla, mox in tectum prorepens, eam excitavit flammam, quæ nisi permultitudinem aulicorum tacitè sopita fuisset, vicinam lignearum Casarum congeriem in cineres omnino redegisset. Manè per tria milliaria in Dzievienkovice oppidum delati, ibiq; prandio refecti, duobus rursus milliaribus emensis, in Klossovice noctem egimus 21. Februarii.

Et jam ea nancisci cœpimus hospitia, quæ speluncæ magis, quam domûs casæve faciem præ se ferebant; in quavis namq; domo unum cubiculum mirè depressum, ab eo, quem intra se habet, camino, & furno teterrimum, fenestris (foramina rectiùs dixeris) nec ad exponendum caput humanum satis amplis, obscurè lucidum, irrequieto insuper cimicum morsu, patientiæ prorsus infestissimum, diversorii nomine superbit.

Toleratis aliquot ejusmodi specubus in Ziurovice oppido, tantisper morari statuit Princeps Herus, ob miraculosam ibi DEÏparæ Virginis Iconem, in Divi Nicolai apud Basilianos Monachos, unitos Catholicos venerandam; atq; persoluto cultu, transeuntes fluvium Scara in Zidlovice pago relaxationi fessarum ab itinerê continuo virium plus aliquid temporis tribuendum duximus. Terminanda adhuc hoc die erant Bacchanalia, 22. Februarii; itáque pro coronide eorum, ut adhuc carnibus valediceremus, siquidem inopia earum insignis fuerat, emi jussit Celsissimus Princeps noster

noster bosculum egregiæ pinguedinis, quem mox occidi, ac partiri curavit, addito non modico mulso, cremato, & advecto etiam à sesqui milliari vase cerevisiæ, ut nemo esset, qui potu aliquantùm non immaduisset.

Venit cinerum dies, & viâ incommodâ rursus 23. Februarii, per densas sylvas usque in Polomko, Civitatem à Moscorum furore in rudera versam, (etiamsi millia Moscorum ad eam à paucis Polonis prostrata memorentur) venimus.

Sacrâ Divi Matthiæ Apostoli die ad persolvendum Sancto honorem, in Miss, Civitatem, duabus abhinc milliaribus festinavimus, ibidémq; sacrificio missæ adfuimus, ubi à Reverendissimorum Patrum Societatis JESU humanitate, hospitaliter excepti, liberali prandiô, & copiosô mulsô, cervisiáq; honorati fuimus. Usitatum habet Polonia, ut esurialibus diebus cibos oleo lini, butyri loco condiat; hoc enim verò stomacho meo peregrino alienum prorsus accidebat, unde more mihi patrio lacticiniis, cautè, ne fervens polonorum Zelus scandali occasionem acciperet, ubi potui, vescebar. Hinc ad noctem progressi in Kroszin civitatem Principis Radziwil, cujus Palatium nos quoq; hospitio recepit. Superveniente aurorâ perreximus in Sniow' ubi cùm nec prece, nec pretio quidquam adprandendum reperissemus, necessariò, pastis solummodo equis ad Neszwisz Principis Radzivili Civitatem. 25. Februarii properavimus. Est Urbecula illa (quod hic per quam rarum) utcunq; muro circumdata, amplitudine fori, curiæ, annexarumq; officinarum ordinato splendore illustris; ab arce, quæ tormentis munitur, vallisq; cingitur, insignis. Hanc itáq; post emensa è Schedlecio quinquaginta novem milliaria subeundo, nostra ad obsequia magnam civium benevolentiam agnoscentes, nobis, jumentisq; nostris quietis locum statuimus, ea etiam spe, quòd ibi reliqui Aulæ nostræ è Klevan in Wolhinia vocati, nobiscum se essent conjuncturi.

Die 27. Februarii ad Missæ Sacrificium in RR. Patrum Societatis JESU Ecclesia audiendum convenimus, à quibus jussa Studiosa juventus, salutavit Principem Herum, cui postmodum ad triclini-

triclinium deducto, quidam Magister extemperaneâ oratione felicem adventum gratulatus est. Tum ad appositum in lagenis cum condimentis, saccharaceis (uti Polonis mos,)crematum invitatus est, quas & nos jucundè evacuare non cessavimus : Ecce tem adsunt, qui pro impedimentis in Klevan ablegati exspectabantur, quorum adventus causa erat, ut sumpto adhuc prandio advenis illis militibus servisq; refocillatis,rursus die ipsissimo iter susceperimus.

Comitatæ sunt nos inclinatâ jam die incolarum bene precantium voces: ac viâ commodâ, transito pago Seczelowa, in Rimosez pagum in monte situm, duobus milliaribus ad pernoctandum venimus 27. Februarii; atque hinc primo manè viâ nimiùm lutosâ per Gendrzeikow pagum, in Piaseczna Civitatem longè afflictissimam appulimus; Hic siquidem (quod in Polonia frequens est, ut prædonum, hujusque farinæ hominum nequam clamoribus, hostisq; adventantis falsis nuntiis perterriti municipes, urbem deserànt) omnes fugâ sibi, suisque consuluerunt, ut nè unus fuerit super. Igitur desertum Hospitium nostræ aulæ accommodatius ingressi, planè ipsam Parochi peramplam Domum occupavimus, atque illa, quæ penus nostra nobiscum vecta suppeditavit, hilare prandium dederunt.

Et jam ad Niemem fluvium rapidissimum, ventum erat, quem glacies ad utramq; ripam relicto medio alveo tantùm fluido tam solide adstrinxerat, ut trajectum quasi prohiberet; quem cùm magno pararemus labore, ecce tibi Dominus Obertinski (qui totius viæ onera sibi commissa habuerat) ruptâ sub se glacie in aquam, decidit, & nisì arcus, pharetráq; sagittis plena ad femur alligata pendulum in glacie sustinuisset, submersionem vix evasisset. Compactis itaq;, undecunq; congestis trabibus, magno cum periculo currus supra positos, tandem faustis conatibus trajecimus, & eo adhuc crepusculo duorum milliarium iter adusque Semenioviæ pagum, 28. Februarii expedivimus.

Czilikov pagum ineunte die sequenti 2. milliaribus attigimus, etiam illum, ad modum supra narratum incolis vacuum; ibi

ibi in meridiè cibati, indè in Piatovsczisna in monte sito pago, Schismaticis referto, excepti pessimè, sub Jove frigido ob loci angustias, somnum capere coacti, copiosâ insuper aspersi pruinâ 1. die Martii. Tum per Lossica pagum, tribus adhuc milliaribus superatis, Minsk tandem attigimus. Hæc urbs est ampla, per montes & valles non modicè extensa, neq; à Moscovitarum furentium rabie immunis remansit, prope in rudera conversa; sed labentibus annis in meliorem reparata faciem, ità ut Monasteria, Dominicanorum, Reformatorum Sancti Francisci, PP. Societatis JESU Collegium fundamentis jam jactis, non mediocrem denuo splendorem urbi polliceantur. Quin etiamnum Schismaticorum ædes non vulgares, quàm plurimæ (quia ab hoste Schismatico fortunæ eorum omnium mansêre intactæ) decus addunt.

Post Schismaticos, numerus maximus est Judæorum cum suis synagogis; hi, quia ingentibus tributis, exactè semper allatis Magnatibus, indè sunt per utiles, libertate quoq; magnâ potiuntur. Princeps fori hujus decus, est Curia in medio sita, copiosis mercium ædibus circumsita. Urbis incolas, victus, & amictus, præsertim luxus fœmineus, & ædes cœteris spendidiores picturis afforis ornatæ, opulentos esse ostendunt. Dominum Urbs agnoscit Excellentissimum D. Joannem Casimirum Sappia, Palatinum Polocensem, magniq; Ducatûs Lythuaniæ tunc Legatum, cujus hospitium in monte situm, omnibusq; Aulæ necessariis, ac commoditate refertissimum, ob ejusdem absentiam adire non licuit, sed in urbe ab incolis per humàniter accepti, copiosô mulsô, cervisiâ, reliquisq; incolarum muneribus recreati, ad quartam usq; Martii diem remansimus, ibi prandiô peracto inter bene precantes Civium voces, iter resumsimus.

Brevissimo tempore quatuor milliaria planìssimo tramite adusq; Horodiszcie Cauponam in medio sylvarum sitam à Judæo hospite sordidam absumsimus. Interea Dragonerorum Capitaneus à copiosiore potu adhuc ferventior, dum procul remotus nostrum subsequeretur iter, cum associatis sibi rixatus est, & inter-

interponentem sese dissidentibus Chirurgum transfodit; ob quod factum, etsi Principis oculos subterfugere niteretur, nihilominus à submissis clam militibus captivari, incarcerariq; jussus est. Læsus Chirurgus, in urbem Minsk ad recuperandam sanitatem remissus est.

Nos inpratis pernoctavimus quartâ die Martii; quintâ verò ejusdem mensis die in Smolevicz Civitatem devenimus, ubi finitô prandio reus Capitaneus, per sententiam judicum rebus suis spoliatus, & ab Aula amandatus, trecentos ictus funibus inflictos, sustinuit. Ejus locum Signifer per totam Legationem substitutus obtinuit.

Quatuor hinc milliaribus ad pernoctandum in Boguslawpole profecti, radices arborum invenimus adhuc inforo eminentes, signum, non pridem ibi adhuc sylvam fuisse. Sexta Martii egredientibus evenit, ut equi onerato currui juncti unà cum ponte decidui è funibus miserabiliter penduli hæserint, mirè cum suspendio illo luctantes, donec funibus præcisis decidui enatâssent. Viarum curatores fustibus adacti, pontem meliùs reparârunt.

Superatis deinde plurimis horrentibus sylvis, post tria milliaria Borysow Civitatem attigimus, ubi septimam, & octavam Martii diem quieti destinavimus. Civitas hæc à Moscovitis occupata & ab eis, dum teneretur, ad validum præparata fuit munimentum opportunitate Beresæ fluminis grandis, invitante, prout etiamnum conspicuæ murorum vallorúmq; reliquiæ loqvuntur. Verùm pauco post elapso tempore, collecta Polonorum vis adeò vim repulit fortiter, ut violentos incolas feliciter urbe pulsos deleverit prope omnes. Magnam hinc per paludes circa Urbem diffusas, pontiûmq; absurdas structuras, difficultatem sufferre debuimus, donec in Lossice oppidum tribus milliaribus, & hinc in Nacza oppidum flumini Nacza adsitum, Schismaticis refertissimum devenissemus, ubi, & 9. Martii pernoctavimus.

In Krubki duobus milliaribus indè oppido ligneis casis compacto, ad prandium suo hospite Judæo, devenimus, ubi butyro, ovisq; conditum panem à Judæo hospite, jejunii die sibi oblatum

Prin-

Princeps Polonus pie respuit, mihiq; extero eundem comedendum porrexit.

Duobus indè milliaribus Bobr à vicino fluvio sic dicta civitas (ubi 10 Martii pernoctavimus) unum nobis prædivitem viæ comitem Judæum addidit, qui toto hoc residuo in Moscoviam itinere libero nobiscum fruebatur transitu: atq; hinc per Pawlovice pagum, Tczeczerzin villam Holevczin civitatem parvam, & à Moscis vastatam, jam jam, urbem Mohilow ingressuri, ut majori ingrederemur decore, in Knissice oppido noviter erecto moram gessimus, omnibusq; de comitatu nostro, in ordinem coactis turmis præcinente tubicine urbis portas subivimus.

Urbem hanc cum aliquo ante hac annorum tractu dominantes Mosci possedissent, Polonis cessêre denuò per pacta Pacis integram, quæ pulchris, & perpluribus Ecclesiarum, ast solum Schismaticorum gaudet decoribus; Unicam Dominicanorum Capellam cum exiguo monasterio habent Catholici pauculi; insuper domibus miro quodam, & eleganti picturarum genere ornatis constat. Accedit adhuc munitionis series; valla enim in paucis hîc urbibus visa; ingens præterea terræ moles ad murorum instar congesta, urbem probè munitam faciunt.

Mulieres, in ampla, rotundaq; facie, pleræq; omnes virum præseferunt, imprimis verò mirabilis est earum amictus: Caput mitrâ cornutâ, insuper telâ longâ velatum tegunt; pelliceum uno ex humero pallii instar pendulum gestant; omnes insuper (quod ridiculum præ reliquis) grandioribus cinericei coloris ocreis indutæ.

Homines hîc perquam hospitales: octo diebus omnes nos apud se habitós omnibus, quæ victus exigit necessariis, cervisiâ, mulsô, crematoq; vinô, insuper ad abundantiam suppeditatis, pastis quoq; liberaliter omnium equis, bene jusserunt habere. Hic nuncius attulit, Legatum alterum (qui erat pro Magno Ducatu Littwaniæ) viam tenere aliam: unde & nos 19. Martii post prandium superato Nieper flumine (aliàs Boristhenes dicto) in Starii-mohilov abivimus lento gradu, quem Excellentissimus

D. Pala-

D. Palatinus Polocensis Legatus alter assequi posset, progressi, post tria milliaria in Makarinci pago miserabili substitimus, 20. Martii. Frigore adhuc urgente jussit intra cubiculum, furnum calefieri Princeps, ex quo, cùm nullum caminum ad fumi exitum habuisset, per apertas fenestras, & portam fumus exivit; talia cubilia eorum universim teterrima, tales delitiæ pernoctantibus nobis persæpe contigerant.

Vasilevicè oppidum est è miserrimis unum, ubi iterum duobus solùm milliaribus emensis pransi sumus, & pernoctavimus 21. Martii. Hinc ad Bassa fluvium advecti, dum ligneum pontem superare nitimur, existente jam curru uno in medio pontis, adeò pons moveri cœpit, ut nisi, subsidio militum, lignis fulfultus fuisset, submersionem vix evasissent.

Transeuntibus duobus milliaribus in Hubarin oppidum exiguum transvectis, & pagum Zdaniowice transeuntibus itidem ex ponte in paludem, delapsos priores è trigis equos, salvare oportuit, funibus, quibus currus trahebatur abscisis. At ecce mox alter currus nos subsequens planè inpaludem invertitur, atque ità his infortuniis horæ aliquot insumptæ sunt, donec in Hubinow, pago vigesimâ tertiâ mensis Martii prandium, cœnámque & nocturnam quietem adepti fuissemus.

In proximam tribus milliaribus distantem Civitatem nomine Horki culinæ currus præcesserant; ast ob vias hîc nimis incommodas in Germaki pago 24. Martii coacti pernoctare, demum post facilem per Holissa, & Czernava duo flumina transitum, ex solitis lacunis, & luto eluctati primò in Horki Civitatem Illustrissimi Polutinski propriam, convenimus omnes, ibidemq; Festum Beatissimæ virginis Annuntiatæ in Parochiali Ecclesiâ perquam lacera (quando interim ornatissima reliqua sunt Schismaticorum templa) solemnia pertractavimus. Hinc die sequenti missi sunt nuntii Smolenskum, qui Legatos fieri jam Moscoviæ propinquos nunciarent; nobis verò per duos omnino dies datæ sunt ab itinerum molestiis feriæ, donec rursum 27. Martii visâ, & relictâ in parte dextrâ Civitate Horki in Sokolow devenimus,

venimus, ubi purâ aquâ prandentes refecti, ad cœnam cerevisiam aliunde advectam bibimus, In ea via dum è monte quodam descenderemus, equi in uliginem inciderunt, ut currum illum appositis retro aliis equis difficillimè extraxerimus.

Post Sokolow statim montem prægrandem uliginosum conatu longè difficillimo superandum habuimus, ex quo difficilior descensus evenit, ubi aspectu quidem modica, at profunditate periculosa perlabitur aqua, perquam ponticulo exili, ut ibi assolet, dum primus rebus primariis oneratus currus tentaret transitum, omnibus sex equis jam in terram transgressis, prioribus rotis in medium pontis devectis, pons rumpi cepit tanto fragoris strepitu, ut equi eo territi, dum fugam tentant violento impetu adhuc feliciter currum unâ secum demersioni proximum, eripuerint.

Hoc perfuncti periculo, rusticos ex Szavieva vicino pago Haidones verberibus, ad festinè reparandum adduxerunt pontem, quo peracto exagitatos plurimis adhuc viarum malis duobus milliaribus Piervvszinoho pagus hospitio nos recepit 28. Martii ad fluvium Brzezam cujus ripam sinistram tenúimus, dextrâ jam Moscoviæ subjectâ. Itáque transitis Deniszovko, Beresavvo, Cziskov, & Virisabi pagis, sat bonis, & ordinatis, in Kadzin Civitatem optatam devenimus.

Civitatis hujus Toparcha est Palatinus Trocki, cujus ibi palatium nobis inhabitandum obtigit, nosq; hospites habuit ad usque Excellentissimi Palatini Polocki adventum, quem secundâ Aprilis magnifico cum comitatu advenam salutavimus. Cæterum urbs ista in Lythuaniæ terminis Moscoviæ centermina, non habet unde speciosè memoretur, meri námq; Schismatici, & Judæi eam inhabitant (pauculos si excipias Orthodoxæ Religionis) neq; ullis munita vallis, seu muris, Mercatores plerunque habet Judæos, malim dicere fraudulentos deceptores, exili namque pretio è vicina Moscovia coëmptas pelles, (eo quo perfidæ genti huic consuetum est,) pretio carissimo in Poloniam venundant. Hic quoq; negotiationis suæ ultimum habent terminum, siquidem nec pede quidem Moscoviam contingere eis licitum est.

D 2 Diem

Diem tertiam Aprilis, quæ Dominica Palmarum fuerat, solemnem fecêre Legati, apparatu sub missa musico, ibi nondum hactenus sic viso, concurrentibus propterea ad spectaculum Schismaticis incolis omnibus. Inde collatis Symbolis, lautum, ac magnificum prandium instituerunt; quo finitô antequam sol occideret ad confinia Moscoviæ adhuc attingenda iter suscepimus.

Caput VII.

Ingressus in Moschoviam per Smolensko.

BRzesa supra nominatus fluvius Urbem Kadzin alluit, qui Moscoviæ confinia cum Lythuania ab ultima Polonorum clade terminat. Quanquam Sigismundus gloriosus Poloniarum Rex, hinc triginta duobus milliaribus post Dorohobusz civitatem, confiniâ, profundè in Moscoviam locaverit; posterius tamen Mosci victores adhunc usq; fluviolum Brzesam terminos protulerunt. Trajecto itáq; hoc fluvio, primum jam in Moscoviam immisimus pedem valdè importunè, cùm pluviâ toto hoc die lutosam viam fecerit adeoq; inundârit fluvium alium Molocha accolis dictum, ut superato insuper montis cacumine lassis equis, inclinato jam die proficisci nihilominus coacti, post solem jam occiduum serò nimium Civitatem Suhovo adiverimus. Hic nova molestia: quia enim Adstes (Przistaw Rutheni dicunt) nondum aderat, sinè cujus jussu nec pro nobis, nec pro tantopere defatigatis equis, quidquam pendere volebant, ideo tandem commiseratione jumentorum ducti, perfringere portas jussêre Legati, fœnúmq;, & quidquid ejusmodi erat abripere, quod tamen, nè Moscoviæ adversus Legatos aliquam crearet querelam, renuentibus quamvis venditoribus, æquô pretiô remunerati sunt.

Quartâ die Aprilis infelicem, & prorsus abominabilem aggredi cœpimus viam, per densas, lacunis plenas sylvas, ad quas penetrandas plures sæpe equi currui adjungi debuerant. Ibi prior currus onerarius lacunæ propè immersus, cum eâ die extrahi

trahi non posset, noctè totâ inibi hæsit, reliquis interim in adsitum pagum devectis; donec manè utriusq; Legati Haidones, milites, cæteráq; turba excindendo sylvam ingenti labore (nonnullis quoq; è Moscis, quibus viarum reparatio incumbebat, adjuvantibus) hunc difficillimum transitum superâssent, post quem in Rihorko pago post duo milliaria conquievimus.

Advenit obviam nobis Adstes viginti munitus Strzelicis (sclopetarios dicimus) suoq; stipatus comitatu, qui ad salutandos Legatos, in Moscoviam advenas emissos submissâ capitis inflexione veneratus, in protectionem assumpsit. Cui Præcedentia viæ incommoda cum retulissemus, communia terræ huic esse asseveravit. Deinceps tamen hospitia, cœteraq; ad usum necessaria sedulò providit, vigiles insuper, quibus noctu tutiores redderemur, statuit. Progressi itaq; devenimus in Lubni, oppidum exiguum. Hoc ultimum erat, quod Smolenscum ingressuros transire oportuit. Hîc igitur refecti prandiô, ordinem quô in Urbem ingrederemur, in papyrum conjecimus.

Die itaq; septimâ Aprilis, summo manè Lubni ante memoratum pagum egressi, præmisimus duos currus culinares, aliasq; permultas minores bigas, trigasq;, quibus Legatorum, & aulicorum supellex devehebatur ad hospitium, & ab adjuncto nobis Adstite præparatum, ubi cubicula interim decoris tapetibus adornata, donec & nos tribus illis milliaribus superatis ad horam à meridie tertiam adventaremus, ordine subjecto. Agmen duxêre tubicines Germanico vestitu, auro splendidè fimbriato induti, terni, adjuncto tympanotribâ alternatim concinentes. Illorum vestigiis insistebant cum suis Præfectis Dragoneri seu Desultorii armati, Excellentissimi Palatini Polocensis, rubrá omnes veste, fimbriis & reliquo ad luxum decore, concolores. Post hos Nobilis D. Radzimin Stabuli Præfectus præcedebat, Turcicos Celsissimi Principis equos tapete rubro turcici operis, à totidem rubra veste concoloribus equisonibùs manuductos. Hinc à tergo parippi duodecim Excellentissimi Palatini, præcedente itidem ejus stabuli Præfecto Aulico, similiter panno rubro in limbum candi-

candidum desinente instrati; Singuli etiam ab equisonibus singulis manuducebantur. Hos proximè secuti ductoribus aurigis colore pariter rubro investitis, equi Frisones generosi octo, fusco colore & corporum vastitate spectabiles, currui Celsissimi Principis Moscuam ipsam invehendo destinati. Tum septem quoq; spadicei coloris equi Excellentissimi Palatini omnes subsultabundi ductoribus pannô rubro vestitis, progressum fecêre magnificentiorem. Equos, secutus est à fuscis sex equis vectus, Domini Legationis Secretarii currus. Huic proxima Rheda viatoria Celcissimis Principis, sex equis ruffis vecta, in qua Aulæ Medicus Dominus Feredini, Capellanus item Principis P. Thomas Schvan, Prædicatorum Ordinis, ac duo Societatis JESU sacerdotes ab Excellentissimo Lithuvaniæ Legato adducti, devecti sunt.

Tum generosa Polona Nobilitas, è variis viæ comitibus Volonibus (quos honesta visendæ Moscoviæ ducebat, curiositas) ac aulæ Ministris conflata, phalleratis, selectisq; equis insidens progrediebatur. Tertia dein Tubicines Polono more Magnificè amicti, alternatim currui Legatorum præcinebant, quem tametsi, ut incommodis viarum serviretur inferioris notæ assumsissent, attamen decore omni insigneam equi sex Frisones colore varii, apparatu, non minùs argentô quàm sericô divite ornati aurigantib⁹ rubro ad Polonam normam vestitis amictu, superbè protrahebant: Latera stipabant rubei itidem argentô, more eorum, copiosè inspersi Haidones duo; Currum verò occupabant Celsissimus Princeps Czartoryski Palatinus Volhiniæ, Poloniæ Legatus, & Excellentissimus Palatinus Polocensis, Magni Ducatus Lithuaniæ Legatus, Perillustris Dominus Komar Judex Orsanensis Legationis Secretarius, & Dominus Adstes Moscus nobis obviam missus.

A latere Principis duodeni Cubicularii (Polonicè Pokoiovi dicti) duodeni itidem à latere Palatini equitabant, rubeo omnes ornatu concolores; duo dein equi gradarii, singulorum Legatorum pretiosis ephipiis, atque ad omnem apparatum compositi, singuli post currum ducebantur; Tandem Aulicorum Volonumq;

numq; centum & quinquaginta Ministri: Sexageni item Principis Dragoneri amictu novo, armisq; donati, pompæ finem imposuerunt. Secuti sunt adhuc novem currus militares, quos Poloni Karavan, Germani Rüstwagen dicunt: duo currus novi Magnifici, quibus Legati Moscuam, ingrederentur; & alii plures parvi currus. Procul á Civitate Smolensko excepturæ nos paratæ stabant Moscoviensium equitum duæ Turmæ, cum tubis plaudentibus & tympanis, quæ nos non ad Civitatem nec penes mœnia, verùm procul deviando in Præurbium deduxerunt.

In hoc præurbio dextrorsum, & sinistrorsum collocata stabant agmina Moscoviensium Sclopetariorum cumfistulis & duplo, quam nostratiâ majoribus tympanis. Nos alacriter quidem per medium eorum procedentes, magna tamen afficiebamur molestia ob lutosam viam, donec pontem per fluvium Nieper illis dictum, Latinè Boristhenem superâssemus, quem hîc jam alterâ vice pertrânsivimus. Hinc sinistrorsum, ad plateam declinando, Comitante nos Nobilitate Moscoviensi, ibi festa Paschalia celebravimus.

Parum indultum nobis fuit Urbis perlustrare situm, & quæ visu digna viderentur, annotare, siquidem nec per jam dictum pontem spatiari amplius concessum erat, tam munitionis prodendæ quàm nos ipsos hinc periculum conjiciendi metu.

Hæc Civitas per valles montesq; exporrigitur, mœnibus novissimè extructis utcunq; firma; multis insuper munimentis præmunitur; lapideis verò domibus ubique fere in Moscovia caret, ligneis interim refertissima. Medio harum eminet mons præcelsus, quem planè eo tempore cùm & fodientium & terràm avehentium exerceri labore perspexissem, ad imabundus ex incolis, quidnam insolitus labor vellet, quæsivi, qui respondebant: in animo sibi esse memoratu dignissimum aliquid eo in loco erigere: quidnam verò illud foret, subticebant. Præurbia perquam spatiosa Urbi subjecta sunt, ubi multa vendentiū ementiumq; mercimonia, eaq; plerumq; à scyphis ligneis, lepidoeorum more tornatis, variis ollis, cæterisq; vilioribus mercibus laudata. Templis etiam ferè ligneis decorantur. Vi-

Viginti abhinc annis, quo adhuc tempore Poloniarum Rex Urbi dominabatur, Polonum quoq; amictum tenuêre Cives; verum jam magnum Moſcoviæ Ducem dum agnoſcunt Dominum, uſum etiam Moſcoviticæ veſtis recepere omnes. Ridiculus præreliquis videbatur mulierum veſtitus. Induuntur hæ, tegâ longâ flavi coloris, ex humeris in terram etiam manicis dependulis, nullo cingulo latera præcincta, capita quoque inſoliti operis mitris tegunt; Virgines Capillis ſolùm dependulis ſericis floccis complicatis diſcernuntur. Viri capillos curtant, barbam plerumq; rufam nunquam radunt; quos inter qui plures in manica plicas, ſuæ togæ geſtat, reliquis honoratior, authoritátéq; dignior agnoſcitur.

Urbs hæc, ut nidus jam Schiſmaticorum, in omnibus à ritu Catholicorum recedit, ut nec in formanda cruce conveniant, quam à fronte ad pectoris imum, dein à dextra ad ſiniſtram, contrario nobis ritu formant, cum profunda terram verſus inclinatione.

Erat dies Aprilis decima, quâ Feſta Paſchalia ſecundùm novum ritum nobis, ſecundum antiquum verò illis peragenda, eadem die annô iſtô occidêre. Hic ſpectare licuit celebrationis morem illorum; Obviantes enim, nullâ ſexûs, aut ſtatûs ratione habitâ, ſe ſe oſculantur, rubrumq; ovum ad morem nobis familiarem, ſibi invicem donantes cum demiſſa capitis inclinatione inquiunt: Kriſtos Voskres (quaſi Bohemicè diceres: Kriſtus wokr'zal: id eſt Chriſtus reſurrexit:) cui gratias referens ſalutatus aſſumpto ovo: Voiſtin Voskres (giſtu wokr'zal, verè reſurrexit) reponit, redditq; baſium; quod non parvæ nobis admirationi evenit, cùm per omnes plateas & vicos turmatim ſibi obviantibus id evenire conſpexiſſemus.

Nobis ritu patrio ſolenniter cum tubis & tympanis Paſcha celebratum eſt: ubi inſolitum maximè viſum incultis ſpectatoribus, quod è chartis ſignis muſicalibus notatis, tam dulces moduli, & gratisſimi auribus vocum concentus elicerentur: quo factum, ut adſtarent apertis buccis attoniti omnes, quomodo preces in Deum dici poſſint à nobis eo tempore, quo tam jucunda auribus ſeu voce, ſeu inſtrumentis muſicalibus canerentur, quæ ipſis magis ad ſaltandum videbantur animum excitare.

Frequens incolarum ad aulam noſtram erat concurſus, ob cultiorem noſtratium in converſando modum; quando viciſſim ſtupori illi nobis erant, quod barbarorum omnino agendi modum in omnibus actionibus ſuis patefacerent. Hinc univerſim ſe, & alienos ſine reſpectu tuiſant. Attamen ob magnam ſui Czar æſtimationem, nè aliquam causâ noſtri apud eum incurrerent disgratiam, indies Aulæ noſtræ panes, carnes, altilia, mulſum, cereviſiam, crematum, & reliquas victûs ſuppetias magno numero ſubmiſerant. Longum nobis viſum eſt præſtolari hîc novum è Moſcua Adſtitem: igitur perſuadentes Legati præſenti Adſtiti eum nobis in via occurſurum, effecerunt, ut nos paucis pôſt diebus expediverint. Hîc jam per montes & valles planè barbaram aggreſſi viam, plus per horam moleſtiæ, quàm in Polonia ſenſimus per diem.

Die Decima quarta Aprilis, quâ præmiſſis lautis, & à tubarum tympanorúmque ſonitu ſolemnibus epulis, in ulteriorem Moſcoviam, comitante itidem aliquâ Nobilitate incolarum, reaſſumpta eſt profectio.

Solemnem omninò fecêre Urbis Primores hunc egreſſum, moniti à magno Duce, Legatorúmque præſtantiâ ducti, & inter fiſtularum tympanorúmque applauſum nos ex Urbe comitati ſunt. Præterea ruricolas quingentos (qui ad gentis morem Poduodæ vocantur & à ſingulis carrus unus, jumento uno, provehitur) ad impedimenta Legatorum faciliùs devehenda procurarunt: Atque ut à periculis iter noſtrum tutius redderetur, ille Adſtes, cui onus totum Legationis deducendæ impoſitum erat, ſuis ſe quoque militibus munivit.

Caput VIII.
Iter ex Smolenski in interiora Moſcoviæ.

PRogreſſi itaque per montium ardua, iter non ſine per magnis moleſtiis & laboribus peregimus, ut ſuperato nobis ante hac non viſo tanto luto, per milliaria duo ſerò nimis Volczinie

E exilem

exilem pagum pertigerimus; Ea verò pagi anguſtia fuerat, ut, cùm capere nos non poſſet omnes, ad majorem miſeriam noſtram, ſub nudo Jove in adſito prato, excitatis circum quaque ignibus copioſis, adverſùs Septentrionalium ventorum turbines, noctem prope inſomnem ducere coacti ſimus.

Hinc poſt confectum trium milliarium iter, in Chmoſci Civitate exigua, prandiô refecti, & quia immenſa equorum fatigatio quietem ſuadebat, nocte quoque inter moleſtos cimicum morſus, & continuos è furnis fumos, die decimâ quintâ Aprilis partem aliquam quietis cepimus. Furnos etenim intra cubicula, quadrantem eorundem ferè occupantes, ea ex parte collocant, quam nos cubiculi primariam hoſpitalitatis causâ pro excipiendo hoſpite æſtimamus; è contrario hoſpitum locus eſt ad portam, ubi nos fornaces locare ſuevimus. Nec hæ nos avertere poterant miſeriæ à pernoctatione, propter ingens adhuc frigus, etiamſi inſuper ibi graves perpeſſi ſimus morſus, quos patienter ſuſtulimus: ſignis tamen in corpore ſequenti die apparentibus.

Quinque deinceps confectis milliaribus, tranſeundo Bialacerkev oppidum. & pontem, quem vivum nominant (ille eſt è funibus pendulus, Vop flumini non modico impendens) in Vulfoueg Slobodi oppidum magno cum ſolatio pervenimus: ibi, quia ſerò prandimus, ideo & pernoctavimus 16. Aprilis. Ut autem pacifica à morſibus nocturnis nox mihi eveniret, me Domino Kaſnovsky Capitaneo Huſſarorum ad pernoctandum aſſociavi, ſed is interea crematô liberaliori ità nos unà ſecum affecit, ut nemo omnium fuerit, quem non copioſior hauſtus ſopiviſſet. Atque inde accidit, ut jam non ſatis mentis compotes, profundiori ſomno capti, animalculorum, quibus in Patriis noſtris vix ſimile quid conſpicitur, morſus abſque animadverſione benè perpeſſi ſimus: ubi in vigilia matutina iter parantes indecoras ſatis in vultu, manibusque notas non ſine dolore ob pruritum alter alteri viſendas præbebamus. Quâ causâ datâ, cùm quæſiviſſemus ex hoſpite, quodnam id ſeu pulicum, ſeu cimicum genus eſſet? quod ſimilia morſuum ſuorum ſigna relinqueret; reponebat, eſſe animalcula, illáque

laque in rimis lignorum latitare, Karakan dicta, incolis quidem nè minimum incommodum inferre, ſed exteros multum moleſtare.

Karacan.



Decimus ſeptimus Aprilis dies, isque Dominicus illuxit, quo debitum devotionis noſtræ penſum ſoluturi, in exili hoc noſtro tuguriolo, miſſæ ſacrificium perſolvimus; cujus equidem multi Schismatici ſpectatores aderant, admirantes, quod ſacrorum noſtrorum ritum in tam abjecto loco, (ignorantes nobis non licere in illorum fanis ſacrificare) celebraremus.

Vognovſzisna pagus inter ampliores numeratus occurrit; hic tribus milliaribus confectis & meridiem & noctem agere decreveramus: abſterrebat nos timor nocturnæ à Karakanis moleſtiæ. At hoſpes, quem lucri cupido tenebat, eâ uſus eſt eloquentiâ, ut ſuo in hoſpitio ab omni malo nocturno, quietam & immunem noctem nos habituros perſuaſerit. Verùm malè eſſe voluit omnibus, cùm aggregatis nocturnis ejusmodi incommodis, perſentiremus contrarium, ita ut nox inſomnis ferè tota, cum magna moleſtia, & contra hoſpitem blaſphemia, transacta, è converſo revolutio diei mirum in modum exoptata fuerit. Communis, eáque firma ſententia contra ejusmodi deceptionem fuit, mendacem quoque hominem pœnâ congruâ munerari; ſed extra Poloniæ limites nos poſitos, peregrinum ſolum prohibebat; attamen verbis acerrimis objurgatus luit; quanquam in jocum detorſerit omnia, inquiens: nihil horum perpeti domeſticos, forſitan in exteros ſolos tantam effundi calamitatem.

Tria adhuc ſupererant milliaria conficienda, usque ad Dorohobusz Civitatem, quò delati ad fluvium Nieper, qui præurbia

 à Civi-

à Civitate ſecernit, in uno itidem ſuburbii tractu, ſtationem per dies 4. quieti fiximus; nec hîc in Urbem ingredi licuit cuiquam, quæ per vetuſtis, iiſque ligneis utcunque jam putridis, cincta eſt mœnibus; copioſas ſed ligneas domos numerat, quantum in colle poſitas trans mænia ſpectare licuit; inter quas mediam inſuper ſchismaticorum Eccleſiam ſitam conſpexi.

Inundaverat hic fluvius Nieper adeò, ut per vicina prata effuſus, non tantum flumini trajiciendo, ſed & iisdem pratis navali opus fuerit ſubſidio.

Duo ſuperaveramus milliaria, tertiò jam Nieper (Boriſthenem) flumen tranſuecti, equis liberè transnatantibus; in quo negotio ſolers Stabuli Præfectus, Dominus Jaſchilkowsky, ſuo muneri ſatisfaciens & inſilire volens in navim, pede aberrante, in aquam incidit, vix aliorum auxilio adjutus. Mlodzilo pagum, nocturnæ vacaturi quieti adepti 21. Aprilis fuimus; ineunte aurorâ egredientibus nobis, offert ſeſe Schismaticorum monaſterium non inelegans; quaterni hinc obviam prodeunt monachi, ritu Græci (Moskovitis Ezernici dicuntur, à nigro amictu, quem gerunt) & vultu & geſtu, ipſis etiam verborum blanditiis, impertiendam nobis deferunt benedictionem, ſpe freti, eleemoſynæ non nihil ærario acceſſurum. Verùm interpellari ſe non tulerunt Legati, & ideo omnigena in nos verborum jacula à repudiatis projecta, ea præſertim quibus Biſurman, hoc eſt, circumciſi ingeminabamur.

Inter prata campóſque bona utcunque nobis evenerat via, per ſylvas tamen valdè lutoſa, inſuper plurimos ſuperare pontes accidit, donec per quatuor milliaria in Czobotowo (pagus vetuſtiſſimorum unus eſt) deventum, ibi pranſum, atque ad beneplacitum Legatorum ſingulare, & cænatum, & pernoctatum. Rurſum hic mentem ſubiit eorum, quæ Karakani dicuntur, animalculorum metus: Unde querulos timores apud paganos depoſueramus ſinguli; at cum riſu reſponſum accepimus: facili nimirum negotio ab eorum violentia liberandos nos, ſi circa cubilium angulos, fruſta panis collocaverimus: quo conſilio feliciter ſuccedente, datum eſt nocturnâ tandem quiete potiri.

Me primum expergiſci fecit curioſitas, videndi aliquem illum Karakanum, arreptóque pane animadverti, relicto cortice duro corroſum totum: ubi adhuc aliquot actu rodentes, ideóque retardatos, cepi, Collegíſque meis ſpectandos dedi, in quibus illatas nobis injurias, ulti ſumus.

Sunt autem Karakani ſeu ſcarabæi, ſeu bruchi, animalcula tæda, & nigerrima, quæ ubi hominem odore perceperint, occultâ quadam viâ, atque vi in veſtes ſeſe inſinuant, tantíſque continuò conficiunt morſibus, ut quem ſopitum occupaverint, in vires omnes præ ſubiti doloris vehementia erectum, tanquam ab inimica manu pateretur aliquid, atque à ſe propulſaturus eſſet, è lecto exilire adigant, & (quod in ſubitis ejusmodi doloribus ſæpe evenit) fallente pede in humum præcipitem agant.

Faventem noctem, non minus favens dies, utpote May menſis, jam præambula, ſubſecuta eſt; cum hilaritate confectum eſt milliare, & jam foſſa illa quadrata à fama notiſſima, quam Bellicoſiſſimus Poloniarum Rex Sigismundus ditionum ſuarum limitem effici curaverat, noménque Polanouce indiderat, viſebatur.

Foſſam via ſequitur, quæ peregrinorum patientiam ſupra modum exercet quàm lacubus, uliginéq; profunda, tam malè ſartis pontibus ex craſſis rotundiſq; trabibus compactis, prope impervia. Ideoque ex nimia curruum concuſſione difficile omnino Principi Celſiſſimo evenit, per hujusmodi pontes, quorum quinque ſupra triginta numeravi, curru tranſire: idcirco ſe ab Heidonibus ſellâ deferri juſſerat: quem nos aulici ad diſcurrendum de tam miſerabili itineris conditione, lubenti animo pedibus comitati circumdedimus, donec quinq; milliarium ſpatio, in Semlouo pagum tardè devenientes, inibi prandium corporáque ſummè laſſa, nox etiam quieta excepit die 23. Aprilis.

Incurrerat die orto ſequente Feſtum Sancti Adalberti Solenne, Patroni magni Poloniæ, & Bohemiæ, cui imprimis conſueto more noſtro, honores ſacros præſtitimus. Hinc iteratò ſubeunda habuimus pontium incommoda, de quibus ſupra dictum eſt; hæc enim via tribus & quinquaginta pontibus inſternitur, non-

nullis ad dimidium, duobus verò ad unum omnino milliare porrectis. Erat ex uno horum commune curribus periculum, qui flumini non exiguo instratus, onerarium unum Palatini currum non sufferens, ibat in ruinam, jámq; unum à curru equum priorem, aquis merserat; pluribus exitio futurus, nisi trabibus robustis præmaturè fuisset fultus; ubi equus scissis, quibus junctus erat, funibus, ad natandum liber factus, evasit.

Tandem igitur Viazmo, Urbem feliciter adepti, ad ordinationem Adstitis per ampliores dispersi domos in præurbio (Urbem enim ingredi non licuit) nostræ ad quiescendum fixæ sunt stationes, quæ præter spem in longas (expectandus enim necessariò erat novus Adstes, qui legatorum curam & assumeret, & ad jussa Magni Ducis tutos in locum deduceret) protracta est moras.

Caput IX.

Iter ex Wiasmo Moscuam.

URbs hæc trans fluvium, Viazma dictum, sita est, à quo & Urbi nomen dedêre: supra hunc pons ligneus, solidus tamen incumbit, in cujus principio erectam habent tabernam (Kabak Mosci nominant) advenis hospitalem. Urbs more solito ligneis mœnibus nonnullisq; turribus, & pergulis circumquaq; ex ligno item constructis circumsepitur; per hæc, quod in Urbe observandum esset, non nisi templa bina, & domos pro more ligneas conspicere licuit. Ampla verò hic præurbia, ob mollitiem terræ, trabibus plerumq; rotundis ad ambulandum difficillimis instrata, per quæ nos Adstes noster circum Legatorum Domicilia locaverat. Hic demum bestiarum illarum copiam incredibilem, quasi eorum ibi esset patria, invenimus; quæ per parietes diffusæ nigrore suo eos planè obumbrabant. Quapropter ne earum vexationi pateremur, atrium potius ad pernoctationem quietam elegimus, ad quam aëris temperies tunc ad votum quoq; favit. Templa ex lignis cum turriculis non ineleganter exstructa habent, penes quæ minora ex muris adstructa esse ad calefaciendum apta, quæ hyeme sæviente frequentare solent, observavi.

Hoc

Hoc narratione dignum censui, quid in ipso Principis mei hospitio non longo ante tempore enixa infantem Materfamilias, illum, non suis Uberibus foverit, sed cunis impositum, & funibus quatuor è cubilis tholo pendulum, vaccino lacte, barbare prorsus nutriverit; ex illis quippe funibus à supremæ partis nodo funiculus dependulus cornu parvum sustentabat, ex quo infernè papilla Vaccæ prominebat: in hoc cornu tepefactum infuderat vaccinum lac, quod per foramen infernè se papillæ illi insinuabat, & hanc papillam longi jam temporis usu nigram gravissimè fœtidam & semiputridam ori infantis imposuit Mater, cui & assvetus infans ipse os ultro applicabat, & sugebat affusum, si deficeret, crebriùs in die lac tepidum vaccinum. Ita ergo sugentem nutriebat. Ad nostram indignationem, præsertim, quòd papilla longo jam tempore ad usum pendula, odorem gravissimum produxerit: neque post objurgutiones, feritatisq; exaggerationes nostras aliud Mater reposuit, qvàm unum illud: sic solemus.

Illud insuper moris habent, qvòd si eam jam proles adepta sit ætatem, ut humi pedes figere, & sinè nutricis adminiculo gradi possit, nolas aliquot Mater collo infantis appendat, eo fine, ut si quis error infantem domo abduceret, nolarum sonus errantem proderet; ad eum planè modum, quo, si quæ ex armento pecus deviaret, tinniens aliquid collo ejus appendere solemus. Hos recèns ambulones nolatos, patrio vocabulo Hribienka vocant; Bohemicè Hrzibatka, Latinè: hinnulos diceremus.

Expedivit Nuntium cum Catalogo omnium personarum nostrarum, Moscuam versus Adstes, qui, quia retardatus, factum est, ut per dies aliqot hîc morari oportuerit; donec à magno Czar Legatis obviam missus Adstes novus Strabcz nominatus, tandem advenisset, superbo amictu, barbâ longâ insignis, qui suscipiens Legatos, examinavit Catalogum omnium unà pergentium; an numerus personarum ei re itâ corresponderet, remisitque priorem Adstitem in Smolensko, quem reducem munificentia Principis mei in gratiarum vicem, frameâ deauratâ donaverat.

A novo hoc Adstite fallendi temporis gratiâ, obtentâ in campos

pos excurrendi veniâ in quoddam pervetuſtum Palatium amplum quartâ milliarium parte ab Urbe diſſitum curribus exiuêre Legati. Hoc Patriæ more ligneum totum, in monte alto ſitum, nobis pervidendi data eſt facultas. Narrabant autem, cùm olim lues peſtifera Moſcuam depaſta fuiſſet, huc velut in aſylum, Magni Ducis Conjugem confugiſſe, in eoq; loco, vitam etiam terminâſſe & ſepultam eſſe. Quo factum, ut in diem usq; hodiernam, locum illum nemo Moſcorum ingredi præſumat, in Dominæ ſuæ venerationem; tantâ eſt gentis in Duces reverentia!

Expectandum adhuc habuimus à Duce reſponſum de tempore, quo nobis diſcedendum eſſet, donec demum quartâ Maji die nobis abeundum eſſe nuntium attuliſſet Adſtes, unde nos ab illo alimentis probè refecti, iter feliciter auſpicati ſumus.

Profecti itaq; ſumus juxta Urbis mœnia ab Adſtite ducti, effuſo toti populo ſpectaculum quaſi facti, ubi communis ſecutus nos eſt benè precantium clamor. Non procul hinc devecti, horrentibus rurſum ſylvis, uliginoſis paludibus lacerisq; pontibus committimur. Superatis demum viâ peſſimâ usq; ad Solis occaſum milliaribus duobus, in ſylvarum medio, collatis ad conſtruenda tuguriola arbuſtis, prati planitiem nobis vendicavimus, humi cænantes, humi quoq; ſomnum capeſſentes; Legati ſua ſub tentoria ſe ſe recepêre. Hinc enim usq; in Moſaiſco per milliaria 22. non niſi unum oppidum, unusq; pagus interjacet.

Provocaverant nos prima hâc pernoctatione Moſci ad lætitiam, exonerationibus ſclopetorum ſuorum per ſylvas Echo edentibus; quibus proritati Poloni, mediam ultra noctem inter bombardarum quoq; exploſiones, liberalesq; potûs æmulationes morabantur, atq; itâ, quantumvis à potibus gravia, & ſomni defectu invalida fuerint corpora, nihilominùs die ſequenti, quina ad meridiem usq; milliaria perfecimus; & quia hujus itineris tractu, nullam attigimns tabernam ad ſumendum prandium; ea quæ culina noſtra ſecum deportaverat, in amæno loco, ubi Haidones ad formam menſæ terram effodêre, prandii loco conſumpſimus.

Continuatum eſt milliaria adhuc per tria iter, donec Czarskezaimoſcie

kezaimoſcie pertigiſſemus. Civitas eſt poſt incendia, quibus in Pagum propè abiit, iterum erecta; medio in foro habet Eccleſiam, & unam popinam. Hic peracta eſt nox quinta Maji. Prandio adhuc refecti hic 6. Maji, quia bonam adepti viam, quinque adhuc ad noctem milliaria confecimus, atque peramænum pratum rurſus hoſpitii vicem ſubivit, quod Moſci Kameniwrab nominant. Ea verò prati ſervata eſt diſtributio, ut pars amænior pro Celſiſſimo Principe, ſecunda pro Excellentiſſimo Palatino, tertia pro Legationis Secretario, quarta demum pro Adſtite (ſingulis ſingulæ annexæ aulæ) eligeretur; neque longe abfuêre Dragoneri utriusque Legati, qui ad omnium corpora cuſtodienda conſtituti ſunt. Ab omnibus, quibus placitum eſt, excitati ſunt copioſi ignes, ad quos ut nox eò hilarior tranſiret, muſica quoque ſonabat.

Et jam orto die denique per ſylvas & pontes, poſt milliaria 4. aliud rurſum pratum ſe obtulit, Oſtrovik ab indigenis dictum, rivo pellucido delicioſum, ubi Adſtes cum Legatis prandens, protrahendo moras perſuaſit, ut hic & pernoctaretur. Inter tonitruum fulminúmque terrores, hæc tota nox abivit, unde noſtrûm nè unus, niſi madidiſſimus, manè ſurrexit. Lutoſa poſt hæc, & admodum humida via ſupererat per milliaria tria, ſerenato tamen aliquantùm meridie, Gelnam, quæ villa ſupra montem poſita eſt, appulimus. Hîc ſumptô prandiô iterum per tria milliaria Urbem Moſaiſco attigimus, à qua rurſum excluſi, præurbia occupavimus.

Urbs ſupra montem mænibus lapideis quidem, ſed ob vetuſtatem, undique disruptis cincta, præurbia copioſis mercatorum tabernis habet inſtructa. Populus eſt, qui ut bibat, vivit, unde binæ eis popinæ, quas, ut ſupra memoravi, Kabak nominant, quæ helluonibus plenæ ſemper conſpiciebantur, cùm alioquin ad ſingulas urbes unica ſolùm taberna eſſe ſoleat. Plebs hæc leporinæ Generoſitatis, ut vel ad unum minacem vultum exhorreſcat: cæterum omnis humanitatis expers omnino. Aliquot denuò diebus hîc morari contigit, reſolutionem Magni Ducis præſtolando, donec

F nec

nec 12 Maji prandio solemni refecti, ob imminentem fatigationum nostrarum terminum, lætiori animo nos viæ commisimus.

Viast Moscis milliare dicitur, qualia quatuor, nostrorum unum milliare conficiunt. Per duodecim ergo Viast, seu nostra tria milliaria Mosaisco, amænum, sese nobis pratum denuò obtulit ad quiescendum, in quo nobis tuguriola ex virgultis; illi Schalasch nominârunt, ad somnum commodiùs capessendum ereximus. Adveniente matutino tempore, pergendo aliquot Viast per Scholkovka (sunt in sylvarum medio casæ aliquot) & per Wczassowna (tria itidem tuguria sic nominata) Kubinsko quinis milliaribus nostris superatis Oppidum subire datum est, ubi die illo, nocteque transactâ, ineunte die postero, post permeatum Tatarka fluvium exiguum, tribus confectis milliaribus ad Juniperetum longè amænissimum allapsi, ibi Sacris à Legatorum Sacerdotibus intra Tabernaculum peractis, prandio humoque deinde recreati, melioris jam hinc viæ spe confortabamur.

Assumpto itinere dimidio milliari dissitum Viazoma monasterium pervetustum, muro lapideo cinctum piscina grandi circumseptum, ponte insuper aquis imposito itidem lapideo ornatum, suspiciendum transeundumque se se nobis obtulit.

Post quatuor deinceps reliqua milliaria, planâ omnino viâ, jucundisque referta viridariis, ac magnificis undique instructa palatiis, & Ecclesiis, quæ per longam, quâ patebat viciniam spectabantur decimâ quarta Maji, in Mamonow pagi tuguriis quies obtigit, ubi & Princeps à Rege Poloniæ literas accepit, Moscho Equite afferente, ex quibus unus perpetuò Moscuâ in Smolensko, alter ex Smolensko in Moscuam pergebat, itâ ut semper alternis septimanis literas daremus & acciperemus. Hæc viarum planities, amænus loci situs, & frequens aularum structura, suspicionem nobis fecit non longè abesse Moscuam.

Quo commodior accideret Urbem Moscuam introitus, hîc ad quindecim Viast, deviando à recta via in Ostroginost, Oppidum, universam Legationem deduxerat Adstes, ubi acto meridie, post milliare Moscua flumen, quod Urbem influit, trajiciendum viam dissecuit; quo superato magnum adhuc pagum Szukieno transeundum habuimus; hinc per duo milliaria ad eam quam ad Legatorum commodum, & ad Urbis Moscuæ jactantiam (nam inde turres deauratæ, Palatia, magnificaque reliqua visebantur) Magni Czari Prædecessores, aulam ligneam olim jam erigi fecerant, Legatos totamque unà simul concomitantium turbam, deduxerunt. Unde quia uno & dimidio milliari duntaxat distabat Moscua, ad quam per tot discrimina rerum tendimus, liquidum omnibus solatium, atque adeò & jocorum hilaritas excitata, & eorum; quæ hactenus perpetienda fuerant, memoria ex animis omnium deleta est.

CAPUT X.

Ingressus magnificus Moscuam.

DUos habuêre dies Legati, 15. & 16. Maji, quibus introitus in Urbem pararetur. Jamque currus apparabantur, equi omnes, præsertim verò Frisones, depectebantur, utque decenter exornati & non sinè lege graderentur (nam in iis major reposita erat magnificentiæ spes) sæpius per Aulæ aream exercitii gratia ducebantur. Ministri cæterique Comites de vestium splendore curis agebantur, ipsi denique Legati ad Majestatem omnem componebantur. Dum ad splendorem summum parata essent omnia, advenerunt duo Equitantes, ex iis, qui inter Primores Moscos censebantur, numeroso stipati comitatu, Legatisque veniam à Mâgno Czar Urbem ingrediendi detulêre. Progressum ergo est in magnam illam Moscoviæ Metropolim, (Stolicza, id est Sedes patrio vocabulo nominatam) die 17. Maji, ad horam antemeridianam decimam, coram inundante spectatorum multitudine, ordine sequenti.

Primò carros facilè quingentos, qui in Mosaisco Urbe ad devehenda onera Legatorum, simul assumpti erant, uti & in aliis Civitatibus factum, præmiserunt; hi igitur cistis, & vario impedimentorum genere onusti, magno Legationis ordini fecêre initium;

tium; modico ab his intervallo diſſitæ in longum porrecto ordine ſequebantur bigæ, trigæ, quadrigæ, & quos recenſere longum foret, numeroſi Nobilitatis currus. Lento dein pede quaterni currus culinæ impedimenta deferentes: currus item alii, quos Karavan ſupra nominavi, quatuor Celſiſſimi Principis flavo, quinq; Excellentiſſimi Palatini Polocenſis rubro panno inſtrati, aulæis, & reliquo ſeu ad veſtium, ſeu ad cubilium ſplendorem ornatu pleni, ſex equis vecti ſinguli proceſsêre. Hîc jam terni tubicines annexo tympanotribâ Excellentiſſimi Palatini, Germanico amictu rubrô, aureis fimbreis multùm inſpersô, generoſis inſidentes equis altùm intonebant, ducentes, ſexaginta Dragonerorum æquè rubrè veſtitam cohortem, omnibus ſpectabilem. Subſequi procedebant Legatorum (Rhedas dicimus) viales currus duo, ſex ad quemlibet junctis equis, uno, qui â Sacris fuerant Capellani, altero Medicus tuendæ valetudinis gratiâ aſſumptus (cui quia Germano more veſtitus erat, ego ſimili quoq; veſtitu Polonos inter locum non reperiens, aſſociatus) vehebantur. Tum Excellentiſſimi Palatini currus deauratus totus, ſex Pantheræ inſtar coloratis equis, equili apparatu deaurato, ſumptuosè ornatis, lemniſcis ſericeis rubris à vertice in longum defluentibus vectus, radiabat totus. Hos ſequebantur Dominorùm Legatorum Parippi octodecim, ad ſingularem pompam adhunc actum deducti, modo Perſico Ephippiis, Saphyris, gemnisq; pretioſe exornatis contecti, qui varia præſtiterê ſaltuum ſpectacula, ut eorum quatuor poſtremi, quantumvis pedibus conſtricti funibus & inſuper à duobus ſtabulariis ducti, maximam tamen generoſi cujuſdam faſtûs, ac Majeſtatis, ſpectantibus omnibus ad admirationem prorſus exhibuerint indicia. His proxima centum facilè tum Comitum tum miniſtrorum túrba ſumptuoſis veſtibus induta, ſuperbientibus equis invecta, progrediebatur. Demum longo ab his intervallo tres Polono more veſtiti tubicines Legatorum adventum feſtino clangore nunciabant, longo ſpatio diſſitum Letorum currum præeuntes. Illo devecti Legati.

Celſis-


Celſiſſimus Princeps Michaël Georgius, Dux in Klevan, Czartoryſki, Palatinus Volhiniæ, Wieliſſienſis Capitaneus, Legatus Magnus Regni Poloniæ.

Excellentiſſimus Dn. Dn. Joannes Caſimirus Sappia, Palatinus Polocenſis, Legatus Magni Ducâtus Lithuaniæ.

Per-Illuſtris Dominus Komar, Judex Orſanenſis, Secretarius Legationis

Adſtes Strabezi Moſcus, qui deducendam Legationem habuit.

Erat currus iſte Wratislaviâ SileſiorumMetropoli, eum in finem (ut ſupra dictum eſt) Principis ære emptus: Holoſerico rubro interius rubebat totus, aureis, argenteiſque nodulis ad inſolitum Moſcis ſplendorem, circa tectum interius refertiſſimus, neq; erat ferrum aliquod, quod non deauratum, pretii plurimum addidiſſet. Currum vexêre equi Friſii ſex, quibus equilii apparatus æquè deauratus erat, & in fronte plumarum albarum faſces tremuli. Hi eò gradiebantur faſtu, ut magnificentiæ plurimùm addiderint, ac præ generoſitate, hinnitus promentes volâſſe quaſi viſi ſint. Principis latus Haidones duodecim, (quorum color veſtium, coralliorum purpuram multo cum argento referebat) ſex itidem alii veſte concolores, ſecures, quas Poloni,



Obuch nominant, in humeris tenentes, Excellentiſſimi Palatini latus ſtipavêre. Ad latera Legatorum item equitavêre viginti quatuor Cubicularii, & equorum generoſitate, & coccineo veſtium ornatu inſignes. Horum terga ſequebantur ter centeni facilè, variis addicti muneribus ſervi, novo veſtitu ſpectabiles omnes; hos inſecuta, quæ Celſiſſimi Principis corpori cuſtodiendo fuerat armatorum, quos Dragoneros vocant, cohors, quæ magno Legationis ordini, finem impoſuit.

Hanc


Hunc igitur ordinem ex ea, quam uno & dimidiò milliari disſitam dixi Aula, in patentes campos egredientem, profuſus populus ob inſolitam hujus Legationis Majeſtatem attonitus ſpectavit tantâ copiâ, ut ad progreſſum noſtrum locus vix ſuffecerit. Fertur interim nuntium, non properantum nobis, imò paſſu lentisſimo procedendum, ne eorum, qui obviam procedere parabant à Czaro ſubmiſſi ex Urbe exitum præveniremus; lenté itaq; progreſſi omnes, donec paratis omnibus expectari Legatos, nuntii attulerê.

Magnum omnes accendit deſiderium Urbem, maximè verò ipſum Czar, ejuſq; Reſidentiam viſendi atque ita geſtientibus nobis, à longè jam ſonorus tympanorum, tubarum, buccinarumq; ſtrepitus ad attentionem omnium audiebatur; Tum ſpectandum præbuit ſeſe florens exercitus bifariam à dextris & ſiniſtris (Legatis per medium tranſeundum fuerat) diviſus, multivario colore diſtinctus, tubicinum, atq; tympanotribarum refertisſimus.


Militum Præfecti generoſisſimis equis Perſicô modô pretioſiſſimè ephippiatis, inſidentes, eâ veſtium varietate, & ornatu comparuerant, ut mirâ inter ſe pulchritudine, majeſtatisq; ſplendore concertaverint omnes: cumq; proximiores Urbi facti eſſemus, ecce novam, ante hac non viſam armatorum cohortem! Cujus veſtium rubrarum longè dependentium color, in omnibus unus erat; candidis inſidentes equis omnes, item alas humeris appoſitas & ſupra caput eminentes ac eleganter pictas gerentes, haſtas inſuper longas & in earum cuſpide deauratam affixam Draconis volantis effigiem, ad venti flatum vertibilem tenentes ſpectavimus. Hæc Angelicam quaſi Turmam præſeferre videbatur. Qui hoc tantæ elegantiæ ſpectaculum miratus non fuiſſet, næ illum certè & in florido quodam viridario pulcherrima florum varietate inſtructiſſimo & amœniſſimo cæcutire omnino crederem.

Tres jam milliaris unius partes confeceramus, cùm Cubicularios Czari pretioſiſſimè indutos, gradariis ornatiſſimis volantes, obvios haberemus. Quos ob nimium luxum, pulchritudinem, ac

adpag: 46.



ad pag: 47.



A.

ac splendorem imaginatione sola perceptibilem, imo mearum non esse virium, ut ornatum hunc eorum, vestium varietatem, & reliquam pompæ totius superbiam, eò quo par esset modo, exponerem, confiteor: pro modulo, tamen meo, quæ attonitus inspexi referam.

Tunicæ coccineæ corporis eleganter erant adaptatæ, & præter eas aliæ instar cujusdam dependuli pallii, collo alligatæ, stupendâ arte intertextæ sobollinis pellibus suffultæ, quas patrio nomine vocant Feresiæ; hæ singulæ ad pectus utrinque rosas maximis unionibus, auro & argento ditissimè ornatas ostentabant. Has Feresias à brachio dextro apertas & in dorsum rejectas ferebant. Mitræ, quibus caput tegebant, ab eo, quam præferebant gemmarum, auri, argentique splendore, ad solis radios micantes, Illustrissimum illum Ornatissimorum Cubiculariorum ordinem, mirum in modum fecêre clariorem.

Equorum apparatus non minùs augebat splendorem: ex dextra namque & læva faucium parte usque ad nodum Ephippii in formam arcus, alligatas trium digitorum latitudinis catenas argenteas & aliqui etiam de auratas, figuris variis insculptis atque impressis, saltum equorum suo strepitu provocantes habebant, quorum etiam gratiosum sonitum virgarum quas manu gerebant pulsu provocabant. Sed & soleæ á Catenulis argenteis affixis sonoræ; nec non pretiosa monilia equorum, pedes exornabant. Denique splendida ac fulgentia omnia, totam eorum (ducentos penè fuisse arbîtror) cohortem, quasi in lucem meram converterunt, sicque sat diu inter se subsultantes, alios ac alios pretiosiùs ornatos adduxêre equos, & relictis jam fessis, mirum dictu, non contactâ humo ex uno in alterum, & in alterum ephippium insilientes, eam probavêre dexteritatem, quæ ad stuporem omnium, tantam artis peritiam demonstrando, oculos mirificè delectabat.

Ornatissimam turbam hanc, secutus est amplus Magni Ducis currus, exterius multum ab auro coruscus, interius ab aureis argenteisq; fimbriis circumquaq; instructus, ad eum, quem Galli-

cum

cum dicimus, modum confectus, ad suscipiendos Legatos à Duce submissus. Bis proinde coactus sistere processus; prius nempe ad reducendos, quos post nos reliquimus, in Urbem armatos Moschos, qui fora, quæ Legatis transeunda fuerant, occupaturi erant. Interea pedetentim appropinquavere maximo cum strepitu Moschovitæ, virgulis dissimulanter equos quatientes, ut saltus, & hinnitus majores ederent. Singillatim omnes, quos obviam missos jam dixi, Legatorum currum adivêre, honorificam impertientes salutem, donec ordine postremus, dignitate primus senio venerandus, & omnium ditiore tunicâ spectandus, Legatis currum conscendendum detulit, & post multas eorum loquelas & ceremonias ipsis considentibus, se unâ comitem adjunxit. Ubi cum jam propius Civitatem accessissent Legati, secundò processum stiterunt.

Dum autem ità subsisteretur, ut & dum lentè progrederemur, (quia plurimis militibus in bellum, quod tunc contra Turcam fervebat, amandatis, paucos sibi pro sua magnificentia, domi habere Czar videbatur) interea iidem milites, quos prætergressi fueramus, per alias vias à lateribus celeriter præveniebant, & se nobis rursus spectandos alibi exhibebant.

Hic dum pacata videntur omnia, ecce non modica inter Legatorum & magni Ducis ministros lis exoritur, de loco honoratiore; hæc per trihorium duravit contentio, donec subsistente toto processu, ad M. Ducem recursum est, ejusque hac super re voluntas postulata; atque ita à Czaro statutum, ut ministri duo Mosci medium Polonum, ordine secundo, duo Poloni medium Moscum atque ità deinceps tenerent. At veró dictus hic in ipsa Moscovia Moscorum splendor, cum Polonorum incessu viatico comparatus, apparuit incomparabiliter major; quando ex adverso magnanimitas animi ex vultu Poloni in medio duorum Moscorum siti, ambos, faciei gravitate & generositate longè antecellens spectabatur.

Urbem ingressis Legatis sonantius applaudere jubebantur Tubicines Mosci, dispari tamen à tubicinibus nostris ratione; horum enim artem cum illorum si comparârim, à Moscis, Liripipiũ, à nostris tubas inflari dixerim; tantâ nempè confusione sonus editur à Moscis, ut nulla omnino Cantûs harmonia discernatur. Hic verò in vicos Urbis excurrêre omnes eo numero, quem capere poterant vici; reliquis fenestræ, canales atq; tecta ipsa spectandi locus fuêre, tantâ multitudine, ut mirum omnino mihi visum sit domos, quæ ê ligno duntaxat consolidatæ sunt, tanto pondere pressas, ruinam non fecisse.

Spectatores inter, non postremum locum tenuit, Virginum Copia, quæ omnimode conabantur ad hunc ingressum Legatorum comparere splendidè. Hæ ut eximium decorem mentiantur, faciem ut pallescat tingunt, genas solas purpureo colore illinunt, ut pallor ruborque invicem ad decorem concertare videantur: Cingulo digitos tres lato, auro argentoque fulgido frontem præcingunt dependentibus undique stellulis tremulis, eâ elegantiâ, ut motum subire frons nequeat, quin radiare videatur.

Itáque multa spectantes, atque ipsi spectati plurimis, transito magno illo præurbio Slobodow, Urbis portas custodiis militaribus, machinisque bellicis probè munitas adivimus, quæ Urbis pars Zemlenigoród nuncupatur. Transitâ hic denuo longâ plateâ, si (rotundis instratâ trabibus, quæ difficilem curribus transitum causant) attigimus forum, militibus, tubicinibusque, festivo concentu nobis applaudentibus plenum. Tum deducti ad aliam Urbis partem, cujus mænia alba: hinc Bialgorod vocata. Ejus porta armatorum item manu, tormentisque bellicis instructa, per cujus longam, & latam plateam distributi pedites, in foro verò Equites collocati, nos plausibus variis excipientes steterunt.

Denique adivimus Kitaigorod, præ reliquis munitiorem Urbis compartem, in cujus porta Czar ipse spectatorem processûs nostri egit, atque ad pervidendum meliùs horæ dimidiæ spatio subsistere jussa est Legatio. Portâ hâc superatâ, forum glabris trabibus stratum, totum attigimus, ubi deprehendimus iterum illam cohortem

cohortem militum, quæ Dracones in hastis volatiles, ut supra memoravi, gerebat, quibus præerant sex Tympanotribæ, qui maxima Tympana flagellis mirâ circa caput æqualissimâ & ad momentum concordi omnes, manuū gyratione & corporis agitatione adstuporem planè pulsabant. Superato hoc foro, sinistrorsum in plateam tandem deducti, ubi magnificam pro exterorum Legatorum usibus exstructam aulam ingressi, nostro per ducenta novemdecim milliaria Germanica itineri 17. Maji optatam imposuimus finem.

Caput XI

Palatium Legatorum, & primus ad Czarum Aditus.

UT Legatorum Palatium Lectoribus satis innotescat, sciendum est, quòd Alexius Michaëlovicz Architectus eleganti hac fabricâ, totâ (quod in ligneis hîc Urbibus rarum est) ex lapidibus coctis constructa, tres contignationes altâ, quatuor turriculis, seu, ut vocant, cupulis, in quatuor angulis super gradus totidem eminentibus decorâ; aream quadratam includat, cujus medium fons amplus occupat. Fabricæ hujus primarium decus, Turris alta & artificiosa magnificū introitum ædificii continet, quæ tribus pergulis (quarum una in altissimo, media in medio turris, tertia reliquæ structuræ æqualis) tam ad prospectum deliciosis, quàm ad deambulandum spatiosis decorata, non exiguum Urbi huic addit ornamentum. Ædem hanc ad habitandum Legatis in tres partes divisêre Mosci: primam eamq; potissimam, Legato Principi; secundam dextrorsum Palatino itidem Legato; tertiam demum sinistrorsum ei, qui Legationis Secretarius fuit, designavêre. Toti autem Legationis comitatui hæc unica amplissima domus suffecit. Cubicula fornices tam humiles habuêre, ut nulla quæ nobiscum adveximus, Aulæa fuerint, quæ tam parùm elato parieti aptari commodè potuissent, quin potius ea valde complicata oportuerit affigi.

Videbi-

Videbimus jam quem Mosci in cubilibus posuêrint apparatum: Affixa muris fuerant scamna circumquaq;; cubilis medium mensæ, longæ, longa itidem scamna mobilia occupabant, rubrô pannô instrata omnia, quo & parietes infernè, quantum sedentis hominis dorsum pertingit, obducebantur. In uno ex cubiculis Principi Legato assignatis splendidè adornato, paratum erat solium, imminente desuper pretioso Baldakino, ubi Regis Poloniæ imago; sub qua sedes Principis Legati admittendis ad alloquium destinata. Intimum Principis conclave tapetibus auro textis, historiam Samsonis exprimentibus, ornatum erat, sed quiâ aer antea diu undiq; conclusam auram corruperat, necesse erat, nè Principi esset noxius, fenestras aliquot vi eximere, ægrè licet ferentibus Moscis. Tres constitutæ culinæ vastæ, cum suis promptuariis, vicinisq; vivariis, ac reliquis cellis. Tria item Stabula, eos, qui ad frequentiorem usum necessarii videbantur, equos, servabant: reliquos per prata fenis ab hinc miliaribus dissita, alternantibus per hebdomadas custodias equisonibus, pascebant: Bina demùm ampla atria, ad deambulandum & convivandum. Illud verò non parvam Legatis peperit admirationem, quod fenestræ omnes ferreæ magis & lapideæ, quàm vitreæ, & pellucidæ fuerint: & quidem, quæ plateam spectabant, crates parietibus profundè immuratas, humani pugni crassitiem æquantes habebant, valvis etiam ferreis munitas, quibus tamen singulis adhuc aliquem armatorum numerum Mosci addidêre, ad arcendam, ut ajebant, hominum rapacium & furacium nequitiam.

Posthæc cura omnis erat de muneribus Magno Duci quàm decentissimè seu Regio seu privato Legatorum nomine deferendis, ubi complures nobiles Poloni aulici, quæ privatim habebant cimelia, ultro Legatis magnificè offerebant Czaro præsentanda.

Paratis rebus omnibus feriâ sextâ, vigesimâ Maji sub horam matutinam octavam, vicena equitum paria (rubra illis vestis concolor omnibus (equis candidis invecti ædium nostrarum aream ingressi, longo sese ordine collocant. Hos alii dignitate majores Aulici, amictu ornatiores, candidis itidem equis insidentes, ad

G 2 quinde-

quindecim paria subsequuntur; ordinem tum vestis ornatu tum equî splendore insignior clauserat stabuli Præfectus, currum superbissimum (quem quondam Galliæ Legati unà cum equis Magno Duci pro munere dederant) antegressus. Vehebantur eo curru Mosci primores tres, auro argentoq; in vestibus intermicante ditissimi, atque ubi ad Legatorum aulam pervenêre, Legatum Principem adeunt, ubi & alterum Legatum præsentem inverunt, delatâ singulis à M. Duce salute, ad colloquium cum eo habendum per humaniter invitârunt.

Lubentes annuêre Legati, atq; ut majestate aliquâ id perageretur, ministris penè omnibus se comitandos præcepêre (quod utpote toti Aulæ gratissimum, magno cum apparatu peractum est) eodem unâ cum iisdem tribus Primoribus curru ad Ducis palatium devecti sunt.

A primo mox egressu per forum compitaq; omnia in Kitaigorod, ac deinde similiter in Krimgorod, (quæ Ducis sedes veluti cor in Urbis medio est) & dextrorsum & sinistrorsum collocatos longo densoq; ordine armatos spectavimus. Hîc irremissus subsultantium quibus referta fuerant compita, equorum hinnitus; festivus item turbarum tympanorúmq; strepitus, processum Legatorum fecêre solemniorem, populoq; in Urbem effuso spectabiliorem.

Ingressis igitur portam in Krimgorod, per Longam quandam juxta Parthenonem Virginum (eas Ezernicze appellant) plateam, in forum ducti, ducenta omnino tormenta bellica, buccis sibi contra stantia, quorum aliqua tria foramina habuerant, arte variâ picta, custodibus copiosè munita invenimus, & per mediam illorum adhuc vecti, tandem Ducale adivimus Palatium. Hîc ad initium statim graduum vigiles omnes nos arma ponore jubent (jussuri & Legatos, nisi domi suæ adhuc in temporè, nè armati venirent, præmoniti, fuissent) atq; ità inermes omnes in palatium educunt.

Mox obviam procurrunt Aulici Ministri Moschi ad splendorem compti tres, hi Legatis perhumaniter avere jussis, eosdem Ducis nomine ad audientiam invitant, eo, quo in Moscovia fieri receptum


receptum est modo; nimirum, Ducis sui titulum à capite ad calcem recitant, summa cum attentione, nè vel in verbo labantur, hæsitentve, graves aliàs etiam ad mortem, pro more, pœnas habituri; deinceps Regis, cujus Legatos alloquuntur, ac tandem Legatorum quoque titulos, neq; Secretarium Legationis prætereundo, cum magna honoris contestatione præfantur; demumq; usitatâ loquendi formâ ad Ducem invitant. Præstito id officii genere, præibant Legatos, atq; penes capellam Ducis usui propriam, cujus elegantiam porta ænea, deaurata, varias Patriarcharum ejus gentis historias referens, indicat, per gradus aliquot in amplum lapideum atrium deduxerunt, atq; hîc rursum Ministri aliis priores, ornatu excedentes, eô, qui jam narratus est modó, repetitis iterum titulis omnibus, ordine jam dicto, Legatis sese exhibent officiosos, perq; lapideam affabrè constructam, columnis quatuor lapideis ornatam pergulam, hastatis viridi sericea, quasi ad morem Helveticum veste indutis satellitibus refertam, ad portam usq; atrii Magni Ducis deducunt, ubi iterum jam tertiò Ministri adsunt itidem tres Mosci alii, prioribus comptiores, prædictoq; modo in ipsum atrium invitant: ipsisq; cum aliis prioribus præeuntibus, Legati ingrediuntur audientiæ locum. Erat atrium grande, cujus fornicem, media sustinet columna, ob quam in medio thronus Ducis erigi commodè non potuit, proindea Prædecessoribus Ducibus, ad latus collocatus invenitur.

Hic thronus mole quidem exiguus, pretio tamen maximus. Sunt columnæ quatuor variâ arte effigiatæ, auro oblitæ; sublimior pars, tecti seu fornicis præfert speciem desinens in conum, à splendore non minùs, quàm pretio spectabilis. Throni apicem Aquila biceps, utrumq; caput coronata, occupat, tertia insuper corona desuper coronis his medio in loco impendebat: atq; hoc est insigne Ducis, quod sæpius aliàs à nobis per Moscoviam iter facientibus in turrium, ædiumq; apicibus spectatum est.

Hoc throno sublimis considebat Magnus Moscorum Dux, majestate ætatem (octodecim enim annos natus) ad stuporem adstantium superante, mitrâ fulgentissimâ, cui insuper inserta fuerat corona aurea, lapidibus pretiosis cimeliisq, reliquis locupletissima

pletissimâ, caput Ducis ornabat. Manus ducale sceptrum occupabat. Tunica, quam mihi eminus stanti, splendor nimius penitius inspicere prohibuit, ea fuerat, quæ ubi spectatorum oculos delectare desiit, in recessu ad Legatorum ædes, omnium deinde ora ad continuò deprædicandum provocavit. Paludamentum in syrma defluens, eos ab Adamantibus & unionibus spargere radios videbatur, ut Moscum hoc amictu fulgentem, Solem stellis amictum conclamârint.

Throni latere stipavêre officiales quatuor cum hacce armorum specie, quæ hic designata videtur



itemq; supremus Marschalcus Dolgoruky' nomine, per quem Dux cum Legatis colloquebatur. Reliqua atrii implevêre Ministri, Nobilitasq; cœtera, numero super quingentos. Horum ornatus & splendor unius, decore alterius obumbrari videbatur.

Jamq; sedatum fuerat populi ad spectandum profusi tùm admirantis, tum deprædicantis murmur, cùm ad Legatos juxta throni gradus stantes, Dux ipse ità fari orsus. *Kak se brat nass Jan Krul Polski Majut:* quod ad verbum est: quomodo se frater noster Joannes Rex Poloniæ habet? reposuit Legatus Princeps: *Wam bratu Swemu Bozau miloscian Wielkiemu Hospodaru, Caru, y Welkiemu Kniazu, Theodoru Alexiewiczu, wszistkieg, Wielkiey, y Maley, y bialeg, Ruszi Samoderszczu, y Wielu Hospodarztwo, y Ziem Woztocznich, y Zapadnich, y Sziewierzskich ocziczu y dziediczu, Nasledniku, Ossudaru, y obladatelu Wasze-*

mu

mu Carzskiemu Wieliczestwu poklonic sie, y Ozdrowie Waszego Carzskiego Wieliczestwa wiedziecz, y nawidzicz roskazal

Latinè sic sonat.

Vobis, fratri suo DEI Gratiâ Magno Domino, Czaro, & Magno Principi, Theodoro Alexidæ, totius magnæ & parvæ & albæ Russiæ Monarchiæ, & Magno Dominatori: ac Terrarum orientalium & occidentalium, atq; Severiensium paterno Possessori, Hæredi, Successori, Regnatori, & mandata danti, Vestræ Czareæ Majestati reverentiam exhibere, & de Sanitate Vestræ Czareæ Magnitudinis rescire ac inquirere mandavit.

Secundus verba fecit ad Ducem, Palatinus, Magni Ducatûs Lytuaniæ Legatus, atque de sancienda pace non nihil inspersit. Tertius deniq; se ad gerenda Legationis Secreta missum declaravit. Tùm Magnus Dux nutu facto eos considere jussit. Protulit dein munera, quæ Regis nomine deferebantur Legatus Princeps; tum sua Legati singuli; ac demum, quia magnificentia Czari, largiùs remuneraturi spem in multis excitaverat, sua etiam multa cum venerationis significatione, offerebant Legatorum ministri, comitesve.

Utq; suam Czar ità honoratus testaretur benevolentiam, manum osculandam toti ministrorum turbæ præbuit, quod reverenter, servato tamen dignitatis ordine, à singulis nobis peractum est. Ultimo locutus rursum Magnus Dux, cibos suos daturum se hodie, quibus vescerentur Legati, perhumaniter pollicitus est, nosq; supra descripto ordine (qui reliquis quoq; sessionibus omnibus servatus est) in ædes nostras revecti sumus.

Plena adhuc mansêre compita, plena fora militibus, qui continuo rursus tympanorum tubarumq; cantu, reduces in Aulam suam Legatos prosecuti: & quia accepta admodum fuerat Magno Duci omnium nostrûm præsentia, & per munera prodita erga se aulicorum nostrorum propensio, illud singulare retulimus comites, quod illimitatam per Urbem spatiandi licentiam adepti simus, comitante semper una è militibus præ foribus excubantibus, ad evitandas malevolorum insidias ac petulantias. CA-

Caput XII.

Epulæ Moſchoviticæ.

DOmum reduces, ſua vix quisq; cubilia repetivêre, tum Legati, tum miniſtri, & jàm curriculi quatuor jumentis duobus ſinguli advehuntur, cibos, & quæ neceſſaria fuerant culinæ impedimenta deferentes magno armatorum comitatu ſtipati. Hos ſubſecuti milites alii colorem uniformiter inveſtibus præferentes, eos Krahulezik nominant. Ductor eorum vocabulo gentis Holova, quaſi caput diceres, per paria diviſos præibat omnes. Tulêre iſti amphoras, cantharos, crateresq; prægrandes auro argentoq; divites, arte laboreq; multiformes, quos à Diverſorum Regum Legatis in munus veniſſe Magno Duci memorabant. Opinio omnium noſtrûm fuerat potibus ſelectioribus repletos fore, verùm ubi omnis potûs vacuos reperimus, præſtandi honoris gratiâ Legatis, patulè per urbem eos latos eſſe, animadvertimus.

Dein inſuper coqui cum Archimagiro advenêre, laminas ferreas pedibus fultas, quæ poſtmodum ad calefaciendos à carbonibus cibos(in aula namq; Ducis jam penè ex integro cocti fuerant) deſervirent, ſinguli operosè apportantes. Architriclinus interim, & ille quoq; ex Ducis miniſtris, menſæ initium, quod Legatis deſtinabatur mappâ inſtraverat, & ſex argenteis orbibus, cultris item, cochlearibusq; in ordinem compoſuerat; menſæ reliquum absq; tegimine nudum relictum. Cibi crudi numerum ducenteſimum adæquabant.

Ubi ad conficiendas à coquis epulas vix erat, quod ultra deſideraretur, nuntius miſſus ex jam dictis militibus unus, qui parata jam omnia ad Aulam Czari nuntiaret. Neq; tardavit adventu ſuo Legatos â Duce deſtinatus Moſcus Princeps (Knias Moſci dicunt) quin opinione citius aderat, equo pretiosè pharetrato inſidens, & ſuperbo ipſe amictu ſpectabilis, aſſumptosque Ducis nomine Legatos in eam, quæ ſuprà deſcripta eſt Salam, atriumq; ad epulandum deduxit. Mox adfuêre, qui in cibis menſæ inferendis partes ſuas agerent miniſtri, itidem Moſci, qui calidos licèt ad veſcendum propoſuerint, minimè tamen guſtum Lègatorum ſeu paſcebant, ſeu recreabant, eò quòd Moſcorum epulæ, nè frugales quidem cibi Polonorum palato, utpote antehac inſueto, viderentur.

Seu multiplicitatem, ſeu multiformitatem eſcarum; quas inibi apponi contigit, longum eſſet enarrare. Erant ciborum quàm plurimi, ſed ex meris piſcibus à quibus non guſtus tantùm, ſed viſus etiam abhorreret. Eſt Moſcis copia Marinorum piſcium ad abundantiam; & ideo, ut ſumtibus parcerent, ſemper ſolis piſcibus nos tractârunt. Horum nonnulli, illis Bielcze dicti (ab alba carne) bovis magnitudinem omnino adæquant. Ex his itaque in fruſtula comminutis, ciborum varietatem quàm plurimam confectam menſis appoſuêre. Habet id piſcium genus è carne ſua humorem, ſeu liquorem quempiam, cui coagulandi vis ineſt; ex hoc igitur in maſſam ad coquorum libitum tractabilem coacto, ficti fuêre anſeres, galli Indici, gallinæ & alia id genus, ut ſpectarentur magis, quâm ederentur propoſita. Ex farina item oleo lini commiſta, compactæ fuêre turres, mœnia, & ut reliqua non commemorem, quàm plurima, arte ſingulari conficta, præſertim bicipites aquilæ ſupremum occupantes locum viſebantur. Acceſſit aliorum piſcium numerus & rara magnitudo: unius certè dimidium, tres, viribus robuſti, impenſo conatu ſuper lance prægrandi in triclinium intulêre

Illud ſingulare in lance, alia: Erat frequens fructuum varietas, eo artificio ſaccharo commiſta, rebusq; aliis ſeu aromatibus nobis incognitis condita, & compacta, quæ panni rubri in petiam compoſiti effigiem mirè præferebat, atq; adeò ſpectantium fallebat oculos, ut an pannus, an cibus eſſet, non modica circumſtantes inter miniſtros enata ſit contentio. Neque poſtremo loco habendi fuêre pepones per medium diviſi in ſaccharo & pipere copioſo ut videbatur, cocti, dulcedine opinionem ſuperantes. Locatis jam epulis, quas appoſuêre Moſci, Legatos aſ-

H ſidere

ſidere fecerant menſæ, & illa calida, quæ ſpecialiter ad Legatorum guſtum præparata fuerant, fercula præpoſuêre.

Ita prandentibus Legatis, Knias ſupradictus ſeu Princeps Moſcus, qui Czari perſonam agebat in epulis, circumſpectâ Miniſtrorum turbâ: jubete (inquit ad Legatos converſus) miniſtri veſtri menſæ reliquæ aſſideant, pranſuri unà. Cui Legatus Princeps ignoſcatur miniſtris noſtris (ait) neque enim Nobilitas Polona ad menſam non ſtratam prandere in uſu habet. Pudefactus enim verò non nihil Knias; & mihi ignoſcendum (reponit) utpote Polonorum rituum parùm gnaro; ſimùlq; ingenti mappâ, quam ſinè mora miſſus Moſcus miniſter ab aula attulit, menſæ reliquum inſterni imperat, atq; annuentibus Legatis, primò conſedêre omnes.

Prægustatis parumper cibis, hauſtum proponi juſſerat Knias hoc ordine: Primum locum tenuit Winicza Oſſudarzka, ſeu vinum crematum, quòd deaurato ſcypho, miro artificio extructo infuſum, ſervato dignitatum ordine bibendum propoſuit; crematum namq; vinum, Ducis ſolius eſſe hauſtum, unde & nomen ſortitum eſt, autumant. Secundum cereviſia, & mulſum argenteis ſcyphis infuſa, ſingulis, pro libitu. Tertium demum locum, habuit vinum, illudq; multiplex, & ſecundùm pretii, ſaporisq; ordinem menſis illatum: Rhenanum primò Moſellanicum ſecundò, Petreziment, & Romania (genus vini illius nominatur) tertio; Hiſpanicum, deniq; quartò allatum eſt; erátque tantus à pocillatoribus in ea vini varietate, aliorumq; potuum ordine ſervando excitatus clamorum ſibilorumq; ſtrepitus, ut Legatis cum admiratione, reliquisque menſæ aſſidentibus omnibus, fuerit conticendum.

Hilaris interim minorum gentium famulorum turba, Haidonum, armotorumq, mutuis compotationibus tempus agebant; atque nè ſubeſſe poſſent querelæ, à Legatorum turmis fortaſſis ob defectum potûs excitandæ metus, urnam inſuper cremati plenam, in areæ medio locari juſſerat Knias, quò omnibus ad bibendum pateret aditus. Sciverat nempe Polonos ad crematum eſſe propen-

MOSCUA
Metropolis Moscoviæ
CZARI
Residentia

ad pag. 59. seqq:

A Residentia Czari Krimgorod dicta
B. Kitaigorod
C. Bialgorod
D. Zemlenigorod
E. Slobodco præurbium
F. Ecclesia S.tæ Trinitatis
G. Moscua Fluvius
H. Pons fluvis innatans
I. Strzeleczka slobda
K. Neglina fluvius
L. Platea, quâ Legatis introducta
M. Palatium Legatorum
N. Platea, quâ Czar Spatiatum pergere solet
O. Platea, versus Kukui
P. Via quæ ex Urbe versus Drgomilowska Slaboda educti Legati
Q Hortus pro specialibus equis Czari
R. Fora ampla, ubi domus paratæ venduntur.
S. Pars Urbis tunc igne insperato exusta.
T. Forum spatiosum trabibus glabris stratum
V. Officinæ Mercatorum



pensos. Hic jam suprà nobis nominatus à potando famosus Stirga Haido, tantùm hauserat, ut exanimi similis humi corruens oculos tortuosè versando ac inconditas voces eructando, atri insuper fumi globos ex pectore, ardente jam cremati vi, voluendo, communi reliquorum lætitiæ modum imposuerit. Misertus combibonis sui Haido Procurat dictus, non magìs lateris, quàm poculi fidus Achates, flocco frigidâ aquâ bene humectato, pectus hominis crebriùs tergens, flammam intus urentem restinxit, eo eventu, ut hominem extra periculum jam positum, consueta bibendi libido rursum occupârit.

Dum plena potibus omnia, reperti fuêre Moscorum aliqui, ex eis,qui cellas vinarias curabant, qui utile suum, dulci Legatorum haustui præponere studerent; namq; liquorum varietatem commiscebant,ut mistis haustibus confecti convivæ,quod de optimo supererat, cedere Moscis potuum à Duce submissorum administris. Verùm detectâ fraude, dum porrecti in crateribus nunc isti, nunc illi liquores ab indignantibus convivis, seu ex ore ipso, seu ex vasis in terram effunduntur, facilè percepêre Mosci, in aperto jam esse, quod tantô studiô contegebant,ortaq; hinc partim palàm confusione, partim hospitum ejusmodi detestatione, inviti licet, id quod præcellebat reliquis vini genus, epulantibus absq; discrimine omnibus propinavêre. Præstita dein Legatis veneratione publicâ, Ducis palatium repetivêre.

Cap. XIII.

Moscuæ descriptio.

§ 1. Krimgorod.

EST Palatium Moscorum Ducis, Moscuæ Urbis pars primaria, in medio, quasi cor, sita, Krimgorod ab iis nuncupata. Locus aliis elatior, hinc Moscua, alluitur reliquis tribus lateribus à Neglina fluvio bifariam diviso circumdatur: Hunc in gyrum mœnia ordine triplici perquam firma claudunt. Intra hæc portæ duæ versùs Kitaigorod altera; versus Bialgorod lapidei

utrobiq; pontes vallis impositi exitum præbent. Has portas tribus, quarum prior ferreâ, altera cupreâ, tertia æreâ variis figuris suorum Patriarcharum, insignitâ laminâ obducta, obserant januis: Portæ primæ, turris alta imminet ex muro solida, splendore firmitati pari.


Est in ea turri singulare horologium in viginti quatuor horas quæ illis Ezasii dicuntur, ad Bohemici morem divisum, eâ arte, ut minores campanulæ per ordinem exprimant Musicam octovam eaq; semel decursâ indicetur primus quadrans; secundus verò, tertius, ac quartus, repetitâ bis, ter, ac demum quater. Horas autem designat sonus companæ Majoris. Aquila biceps (Czari insigne) coronata, tota deaurata, supereminente tertiâ insuper corona majore auratâ, fabricæ totius apex est.

Hæc sola Urbis Moscuæ portio, Duci aulæq; habita, ea abundat templorum copiâ, ut non pauciora quinquagenis censeantur. Horum Princeps est Santi Nicolai sacellum, quod usui Ducis servatur. Primum ab hoc templum magnificum, ubi seu Duces ipsi, seu Ducibus sanguine juncti tumulari sueverunt. Tertium Parochiale, magnum illud sanè & ornatum; Decorem auget in ipsa templi fronte Divæ Virginis Matris planè ad modum Passaviensis media effigies, quatuor tamen ulnarum longitudinem exæquans, pereleganti Apellis opere depicta.

Alterum templi ornamentum est turris quadrata media, media ad apicem rotunda; eam Jwan Welikoy indigenæ appellant. Hæc ipsa triginta, & septem campanas complectitur eo, qui nunc dicetur modo. Sunt in alto turris fenestræ circumcirca; in quarum singulis est campanula; quæ omnes discantum sonant: Tum ordine secundo sub illis primis totidem item fenestræ & campanulæ, quæ omnes altum. Sub his ordine tertio, item tot fenestræ & campanæ majores, quæ tenorem; quarto denique ordine, sub hisce tribus campanæ totidem quæ bassum, velut voces Musicas ad se concordes, resonant.

Ad bina turris latera, bini quoque muri: in horum singulis singulæ rursum campanæ, prioribus multò grandiores; quarum ea,

quæ


A. turris in porta cum horologio artificioso.
B. Monasterium Moniatium.
C. Monasterum Monachorum Czernici. dictorum.
D. Templum Metropolitanum.
E. Ædificium anterius Czari.
F. Turris Iwan Welkoi cum canmanis.
G. Armamentarium.
H. Pons muratus Supra neglinam.
I. Forum clabris trabibus instratum.
ad pag. 60.
A
B
C
D
E
F
G
H
I

ad pag. 60.



modus inclinationis ad formationem crucis.



Templum St. Trois.



quæ à ſiniſtris, habet inferiorem circumferentiam filo à me dimenſam octodecim ulnarum; illa verò, quæ à dextris, viginti & unius ulnæ.

Verùm mole grandius arte pretioſius reliquisque omnibus ſpectatu dignius eſt, grande illud cymbalum, è turris fronte dependulum, quod quia ſtudioſo labore dimenſus ſum ego ipſemet, habendam mihi à lectore fidem confido certiùs. Eſt peripheria illius infima ad 28 '. ulnarum, circumfuſa: corpus ipſum ſeu latus, unam ulnam & unum præterea quadrantem, & duos digitos craſſitie adæquat. Altitudo ad ulnarum ſeptem longitudinem porrigitur; Cor denique ſeu lingua, quâ moles percuſſa reſonat, ejus eſt magnitudinis, latitudinisque, ut protenſis duorum virorum brachiis, vix ſtringi poſſit.

Cæterum in eo numero Moſcua Urbs tota templis referta eſt, ut vix certum eorum numerum poſſe iniri incolæ ipſi referant; attamen à 700. templa, quantum communis fert opinio, mille & ſeptingenta cenſent. In horum turris in cuſpidem vergens; ad latus templi, vel etiam in turri campanæ, ad minimum octonæ, ad edendam jam narratam conſonantiam muſicam præparatæ: ſingula Eccleſiæ tecta octo item turriculis exilioribus (cupulas diceremus) quarum ſingulæ cruce deauratâ ſchemate prout ineffigiatur, occaſum verſus inſignitæ, adornantur.

Quàm magna hæc templorum frequentia, tam rarus eſt apud Moſcos in templa ingreſſus; in eo namque implere ſe omnia arbitrantur, quod per urbem iter facientes, ſi fortè templum prætergrediantur, illud ſubmiſſâ corporis inclinatione & tricies formatô in fronte Crucis ſigno venerentur: Quamquàm & illud ad pias eorum conſuetudines pertinere videatur, quòd indies crebris campanarum pulſibus eorum, quos colunt, divorum feſta celebrent.

Id verò ad eum modum peragitur, ut campanas non agitent, ſed cordi ſeu linguæ campanæ alligatus eſt funis, qui dum trahitur, repetitis ad locum eundem ictibus, æs reſonat, eo ordine, ut

pulsetur minima campana sola v.g. sexies, dein simul alternatim una cum majori. Itidem sexies; dein utraque jam simul alternatim unà cum majori, itidem sexies; dein utraque jam simul cum majori, tertia iterum alternatim vicibus totidem, & sic servato ordine, ad summam usque, ad quam ubi perventum fuerit, tum campanæ deinde omnes compulsentur, idque totidem quoque vicibus. Dein repentè cum omnibus cessant, atque tum eundem huncce ordinem iterum resumunt, & sic vicibus multis per diem repetunt, idque in variis Ecclesiis & pro cujusque transeuntis libitu, cum publicè semper cuilibet ad omnes accessus pateat. Dum verò in Palatio illas supra enumeratas triginta septem campanas pulsare contingebat, angustiam & internum quendam cordis horrorem inferebant. Omnes cupulæ & eminentiæ, quæ in Krimgorod deauratæ sunt, ad splendorem solis tantam reddunt repercussionem radiorum, ut visendas se præbeant ad sesqui penè milliare; quòd etiam nobis primo videntibus non parum ejus Urbis attulit æstimationem.

§. 2. Kitaigorod.

Kitaigorod Civitas suo longo (quod dolatis trabibus totum instratū est) latóque foro Krimgorod confinis pauló Major Moscuæ pars est. Hujus singulare decus est templum perelegans, quod, Sant Trois Mosci, Jerusalem Germani nominant, ab hoc memorandum maximè, quod infaustus fabricæ Architectus, perducto in finem opere præmii locò oculis, Czari mandato, sit orbatus. Metuebat nimirum Tyrannus, ne si deinceps tantus artifex Basilicam alibi exstrueret, isti destrueret singularitatis prærogativam.

Hanc ponè molem suggestus, grandioris instar cathedræ erectus, cancellis in gyrum circum septus ad gradus sex elatus, pavimento è marmore albo stratus visitur, ut ex eo Patriarcha eorum, benedictionem, quæ annuè fieri solet, commodè toti populo dare possit: ut &, si quid populo propalari necessum esset, ibidem proclametur.

Posticum hujus suggestûs firmat murus solidus, ulnas septem altus,

altus, in quo bina tormenta bellica locata, quorum unum novem ulnas longum, septem digitos crassum, os ad ulnæ quadrantes quinque amplum, pandit: alterum est dimidio minus.

Hæc latam plateam respiciunt, quæ Tartarorum (ut narrant) incursionibus plurimùm obnoxia antea fuerat. Continuatur forum, ubi à dicta Basilica usque ad ipsos versus fluvium civitatis muros (qui toti rubri sunt) est descensus ad vallem peramplam, ubi vastum ædificium quoddam, tabernis Mercatorum ex Persia plenum, merces Persicas auro argentoque ditissimas, lapides pretiosos & alia multa vænum exponit; in cujus medio pro ponderandis mercibus grandis lanx pendet. Ibi quoque pelles sobolinæ quæ ad Czarum pertinent venduntur.

Ampla per suprà dictos rubros Urbis muros patet porta, quâ venitur ad fluvium Moscuam, qui proximus mænia alluens sternitur ponte pensili è dolatis asseribus quercinis compacto ipsi flumini innatante. In hoc indies spectare erant lotrices innumeræ, festis quoque ac Dominicis diebus balneatores copiosi.

Alteram hujus Urbis partem versus Bialgorod, alter fluvius Neglina circumfluit, qui allambens mænia Krimgorod in Moschcuam influit. Forum supra dictum tam amplum est, ut totius Urbis officinis Mercatoriis sufficiat. Ibi Oeneopolæ vina varii generis propinant, ac inprimis Romaniam (sic Mosellanicum vocant) alterum Petreiment, id est Hispanicum, dein Rhenanum, Gallicum aliáque. Post hæc pannos Sericeos telas Turcicas & similia vendunt. Tum aurifabri: & sic diversis ordinibus diversa artefacta, uti Ephippiarii, Sutores, tornatores quàm plurimi. Tornatorum hoc speciale est, quod è singularis pretii ligno (kapove drewo appellant) præter cochlearia (quibus si jus fervens comedatur mollescunt) scyphos figuræ lepidæ, more patrio, quorum duos conatu difficili illinc deportavi, formare noverint.

Has inter Mercatorum turbas, numerus Maximus Pellionum est, qui non alibi, quàm loco hoc merces proponunt; quemadmodum & reliquis omnibus, etiam minima vendentibus, ordinatus

natus locus certus est, nè empturientes advenæ, suarum, quas ambiunt, mercium locum opus habeant labore multo investigare. Est & una platea perampla, quam ipse Dux quoquoversum pergat, pertransit, hæc à Krimgorod porrigitur, non aliis, quàm pictoribus habitata. Hi quia Divorum effigies copiosas venales faciunt, platea Divina dici meruit à Moscis.

Præ reliquis lepidum est videre mulierum Moscarum eò confluentium merces aut negotia. Ubi namque seu telas seu filâ, seu indusiâ seu annulos ad vendendum contulerê, aut otii gratiâ adspectandum convenêre, tantos clamores excitant, ut eos ardentis Urbis vel subitorum gravium casuum indices esse advena non expertus arbitraretur. Discolor varietas vestium, multum illas spectabiles facit, sed illud minimê commendat, quòd quàm plurimæ, eæque senes potissimûm, quibus jam formæ decus ætas confecit, genas tingere, atque ità seu formam, seu juventutem deformitate mixtâ mentiri in usu habeant. Nonnullas ore annulum, cui lapis Turcois insertus erat, gestare, admiratus ego, quid hoc sibi vellet? quæsivi; & ecce reposuêre Moschi, hoc signum esse, venalis pudoris mulierculàrum.

Est alia platea à Legatorum ædibus non longè dissita, casulis densissima, quæ ad nihil aliud inserviunt, quàm quod inibi plebs infima seu ad pectendum à sordibus caput, seu crines deponendos accidendósque conveniat. Unde & nomen, forum pediculosum traxit. Tanta ibi in viam projecta capillorum copia, ut vix pedem figere liceat, quin crinium cumulus, isque hinc indè sordidissimus, pulvini instar calcandus occurrat.

Ex adverso ædes sunt magnificæ, in quibus Typographia linguæ Græcæ, tametsi corruptæ habetur, itemque Moscovitica Bibliotheca asservatur. Plura etiam ibidem magna Palátia, quæ Primores Mosci (illis Kniasi) inhabitant. In singulis verò bina trináve templa cum decoris cupulis reperiuntur, turribus totidem campanisque copiosè instructa: tantò enim pietate Magnatus alterum superat, quô plura Templa in suo Palatio erexerit. Quin & hinc atque inde in platearum transitu sacella Divorum hono-

honori sacra erigere, sueverunt Mosci. Ex adverso ædium nostrarum Sancti Nicolai (quem præ reliquis singulari devotione colunt) & Beatissimæ Virginis capellas spectabamus, alibi S. Georgii, alibi aliorum etiam nobis non notorum. Neque inculta sinunt, quin ea, quæ à Divis impetrata arbitrantur miracula, in tabella depicta, lychnos, cereos, lampades & id genus anathemata appendunt, eique, qui secundum morem sacello adstat, Monacho, non illiberales eleemosynas largiuntur. Notavi crebriùs hæc eorum pietatis officia; sed, quod spectare volui, genu flectentem, aut precantem aliquid, vidi neminem; frequentia crucis signa, & profundas corporis inclinationes, qui fortè ea loca præteribant præstabant omnes, nec ultra aliquid.

Urbis custodes, quoties nocturno temporis lapsu horologium horas resonat, toties illi vigilare se signo produnt. Et quia ea vigilum multitudo, quæ armata protegit Urbem, tumultus Civibus, ac Duci ipsi permolestos excitaret, si tympanorum strepitu addandum vigiliæ signum uteretur; ideo dum horologii sonitum percipiunt, mox ad portam Krimgorod, utpote horologio viciniorem, trabi, ad hunc usum paratæ, fuste ictus aliquot infligunt; quo audito, qui ab his primi excubant vigiles, trabem simili modo verberant, atque ità per Urbem totam sensim propagato, quaquà excubitorum domus sunt, obtuso fustium sono, suam in vigilando solertiam contestantur.

Præter plateas, quæ rotundis trabibus etiam in tota Moscua stratæ inveniuntur omnes, duæ hîc primores; una quæ Duci in campum pergenti transeunda venit; altera ad ædes nostras, trabibus glabris stratæ sunt.

§. 3. Bialgorod.

CZargorod dixêre Mosci veteres, quæ Bialgorod nunc appellatur quod tunc, cùm Czar renovari mænia, dealbarique fecit, inceptum, ut nomine ab albis muris desumpto, illis Biala Stenna (albus paries) diceretur. Est ista Urbis Moscuæ major portio, à qua quintuplo omnino Kitaigorod supra discripta magnitudine

 exceditur

exceditur. Muros suos à Moscua flumine orditur · flectitur verò & in longum protenditur ut gyro, quem à Moscua flumine cœpit, & Kitaigorod & Krimgorod complectendo ad eundem fluvium revertatur. Neglina fluvius Urbem hanc transit, donec penes Kitaigorod pertingat ad Krimgorod.

Numerosæ hic templorum, & quæ à Primoribus inhabitantur, Aularum fabricæ. Magna item Mercatorum copia & artificum mechanicorum, quorum artis genus pendulâ è fenestris mechanicâ notâ agnoscitur. sic sartores varias variarum materiarum particulas; sutores ocream aut calcei partes ante fenestras suspendunt: Hos inter numerus maximus est talium, qui calceos ex flexili vimine implectunt usui vilioris conditionis hominibus. Sunt item frequentes Lanionum tabernæ carnibus refertissimæ, gravem odorem (quia eorum aliqui fœtidas carnes Soli expositas vænum habent) spirantes, quas ubi Mosci etiam Magnates prætereunt, aut prætervehuntur, digito carnem à corruptione jam cæruleam, an satis jam mollis sit explorant, & frustum illius crudæ cum frusto allii publicè devorant, scypho cremati super hoc exhausto.

Præter cerevisiæ braxatores sunt adhuc alii cocturas varias exercentes, quas Mosci Kwas vocant, apud quos diversimodè per plateas magna potuum quantitas propinatur. Hic potus sic conficitur. Polentâ lupulo permistâ vas repletur, tum ferventis aquæ mensura illis nota superfunditur, atq; ità repletum vas, diligenterq; conclusum, donec præparata hæc omnia acescant, stare intactum sinitur, lapsisq; diebus aliquot, ubi ad eorum, qui conficere norunt arbitrium acescere jam videtur, singulare potùs delicium jam censetur. Est etiam præter cerevisiam & Mulsum Moscis in amoribus potus alius, è pomis confectus, à jam dictis hominum industriis vendi solitus, quem eò promptius hîc memorare lubet, quò recentior ejus apud me est memoria. Postquam namq; guttas aliquot, ductus curiositate, delibâssem, continuis duodecim omnino hebdomadis tertianâ, tremulus toti Polonorum commilitonum turbæ, risus fui, jocusq;.

Ex primis in Urbe hac ædificiis est Monialium (illis Czernice) monasterium, quod Parthenonem compellare nefas duxi: licet namq; sint earum nonnullæ, quibus illibatus adhuc est virginitatis honos, facit tamen concessa intrandi viris pariter ac mulieribus, exeundiq; Monialibus libera facultas, ut nihil omnino sit, quod in decus illis à me commendari hîc possit; sunt Virgines paucæ, viduæ plures, conjuges à maritis profugæ plurimæ. Est vetus, multumq; suspecta Moscorum præsertim Magnatum cum Monialibus, atque harum cum illis familiaritas, agendiq; licentia. Hinc earum nonnullis nomen quidem virginis, sed onus non honestæ Matris. Educant illæ proles suas sceleste conceptas, infamiter partas, eâ lege, ut ubi adoleverint, vitæ deinceps reliqvum monasterii servitio addicant.

Ad Neglinam fluvium spatiosa stat domus, metallo liquando fundendis campanis, tormentisq; Bellicis, & iis quæ ad Urbis munitionem pertinere videntur, præparandis apta: quibus commodè fluvius lignorum generis varii necessariorum copiam advehit. Juxta, est stabulum Ducis, speciosis atq; ad morem nostrum in equestri Schola probè exercitatis caballis refertissimum.

Atq; hic etiam Ducalis magnificentiæ locus est, Carceres, inquam, Tartarorum (quorum aliqui sunt Kalmuki, alii Circassi) Kosacorum Turcarumq; & quoscunq; in Captivitatem Moscorum venire contigit, qui ut Ducis Majestatem augeant, ejusdem expensis continuò aluntur, & perstudiosè curatur, ut numerus captivorum fiat quàm maximus, majori Ducis gloriæ futurus, ut plerumq; bis millesimum excedant.

Colligantur oblongâ catenâ pedibus bini, & affixum raptant per terram cuneum, quo noctu domi in terram incussæ affiguntur. Elaborata pro equis flagella per Urbem divendunt; & ubi cadavera equina, canina ut & aliorum animalium reperiunt, cruda devorant.

§. 4. Zemlenigorod.

Zemlenigorod totam Bialgorod mole sua circumdat, maxima Moscuæ portio, fortunâ, opibusque minor reliquis. Mechanicos

nicos tantummodo complectitur, si pauculos demas Magnates, eosque non summos. Domibus iisque ligneis densè plena, quanquam flammis frequenter combusta. Eæ quippe, pleræque in Zemlenigorod domus sunt, quæ compactis trabibus, muscoque inter rimas munitis levi brachio, leviori nummo, quia jam paratæ venduntur; eriguntur. Et quidem pro domibus talibus vendendis, solummodo in Zemlenigorod fora multa prostant. Plateæ ibi ob incendiorum frequentia pericula longè ab invicem dissitæ. Molis totius magnitudinem quadraginta quinque Vast, adeoque nostra novem milliaria Germanica in circum occupâsse olim referunt; nunc verò bellis Tartaricis olim ante tempora Joannis Basilewicz gestis diminuta, quinq; occupare certum putant Moschi, quod nobis facilè credendum venit, cum ex nostra sat alta turri, quam supra descripsi, Urbem considerando, fines Moscuæ attingere non potuerimus. Magna dirutorum jam Mœniorum vestigia, valla profunda, aquis stagnantibus copiosè repleta, splendorem antè habitum crebris Tantarorum insultibus perditum ostentant. Certè ex nostro diversorió; qua brevissimus ex Urbe patebat exitus impendenda nobis erat sesqui hora usq; ad suburbium, per quod etiam dimidiâ horâ erat pergendum. Præurbium enim longè lateq; pomærii totius magnitudinem amplitudinemq; auget plurimùm. Slobodow illud Mosci nominant, eam, ut opinor, ob causam, quòd inhabitandi facultas detur omnibus, seu patrii illi, seu alienigenæ sint, advenis; quasi Swoboda quod libertatem Slavonico idiomate sonat, diceretur. Atque inde est, quod popula populiq; fæce abundet adeò, ut populosæ Urbis speciem præferre videatur.

§. 5. Strzeleka Sloboda.

TOti Urbi opposita est trans ripam Moscæ è regione Krimgorod, Strzelecka Sloboda (quasi dicas : militum Libertas) locus â militibus Ducis, ut suprà dictum, inhabitatus, in vicos octo ob armatorum copiam (quibus Solis ibi ædium est facultas) divisus. Sunt illi Magno Duci â custodia tantùm, eorumque singulis & pensum & vestis concolor è Ducis ærario quotannis tribuitur, & si ætate graves, armis jam inhabiles æstimantur, & illi & Conjuges eorum; prolesque omnes in Xenodochiis compluribus ejusmodi necessitati destinatis, impensis itidem Ducis adusque vitæ exitum aluntur.

Horum numerum quia is est, qui fidem ignaris superare videtur, omittendum censui, id unum asserens, eos qui Urbem Moscuam custodiunt armati, numerum quinquagies millesimum omnino superare. Eo sanè tempore, quo ea, quæ refero, præsenti mihi spectare licuit (Junius Mensis Anni 1678. fuerat) ad unam Urbem, quam Czehrin dicunt, contra Turcam tunc defendendam, tantum erat armatorum præsidium, ut ducenta hominum millia recensita fuerint : perditisque eorum millibus omnino centum, brevi interlapso tempore in pristinum numerum restituti sunt.

Est hæc militum Urbs, tam ab armatorum vi & multitudine fortissima, quàm ex ipso loci situ munita. Unam ejus partem fluvius Moscua Lunæ cornutæ effigiem teferens, allambit; alteram mænia ordine duplici tuentur. Hæc in propugnaculum Urbi Moscuæ stat, cum nullibi locorum frequentiora sua cum Tartaris certamina habuerint, neque alibi irruere potuerit eorum hostilitas Moscis infestissima, quàm ex hac parte. Cæterum nulli hominum, præter propolas, vendentes varias viles merces, uti lupulum, avenam & frumentum, hanc cum militibus inhabitare Urbem permittunt.

Est etiam ibi ad ipsum fluvium, grandis Hortus, & grande pratum, ubi Czari equi pascuntur.

Caput XIV.

Germanorum Urbs Kukui dicta.

COmpluribus abhinc annis seu inopia artificum in Moscovia seu negotiationes cum exteris nationibus (sinê quibus commodè obire sua non poterant) compulit Moscos per magnam ex

ærario Czari ſolutionem, Germanos variarum artium Mechanicarum peritos allicere. Hinc non modica quoque ſectarum varietas in Moſcoviam penetravit. Repererunt Germani primùm hoſpitales Schiſmaticos; verùm temporis lapſu, ob morum & præſertim fidei difformitatem, iisdem illis, quibus antehac officiis omnibus accepti fuerant, facti ſunt odioſi, exaſperatis nonnunquam in mutuas uſque cædes animis. Quapropter ut paci utrorumque conſuleretur, in eum, quem ſupra Sloboda Strzeleczka nominavimus, locum, remiſſi fuerant Germani, & mutato nomine, recens ea Germanorum ſedes, Moſcis Naleiki, quod quaſi Infundibulum illis ſonat, appellata eſt. Pupugit ea nominis à potibus derivatio Germanorum animos, quòd & verbis exprobratum & ſarcasmis exploſum eſt, ſæpius à Moſcis, adeò, ut proritati Neoincolæ poſtquam ejusdem potandi libidinis, cujus ipſi arguebantur, reos magìs ipſos, qui arguebant, Moſcos cernerent, poſtulato à Czar incolatu alio, ad milliaris dimidium ab Urbe migrare neceſſe habuerint.

Ibi itaque fixis ædibus, ordinem à Moſcis ſanè invidendum, ad Germanicarum Urbium modum ſervavêre, in erigendis multiplicandisque domibus ligneis quidem; ſed ingenio magìs, quàm ſumptibus modum præbente, ad decorem conſtructis. Totum illud Advenarum Neo-municipium Niemeczka Sloboda (ac ſi diceres Germanica libertas) antehac appellatum, nunc, unde neſcio ſumpta origine, Kukui illi nomen impoſitum eſt. Inter hos incolas fidei multa eſt diverſitas, multa etiam nationis. Imprimis quidem Germani; ex his plurimi Lutherani, quibus bina templa Paſtores bini præſunt: pauciores Calviniſtæ, qui ad unum ſuum templum, unum fidei magiſtrum habent; pauciſſimi Catholici, qui Romanum adhuc Pontificem veræ Eccleſiæ viſibile caput confitentur, templo & ſacerdote deſtituti. Præterea Itali ac etiam Galli. Ex his omnibus multi honoris opumque amore rebaptizati, ſchismaticam amplexi ſunt fidem. Ad Catholicorum preces erat Czaro ſupplex factus Legatus Princeps meus, quo liceret iisdem ex proprio Curatum Catholicum inter ſuos alere; ſed quia ſchismaticis exoſum eſt Pontificis nomen, effectu caruit ſupplicatio. Artifices ſinguli, ex Czari ærario quot menſibus liberali ſtipendio donantur. Sunt inter hos exteros etiam dignitatum, munerúmque gradus, neque par omnibus amictus. In hoc tamen omnium conformis, quod Germanicus ſit, atque ut plurimùm ad Nobilium Germanorum modum, præſertim in mulieribus Virginibusque. Induunt & ſervas ſuas, quæ vel Moſcoviticæ præpingues, vel Tartaricæ deformes ſunt, Germanico amictu, qui earum enormi formæ miram ad riſum aſpicientium deformitatem addit.

Domibus ſingulis hortus bene cultus lactucis floribusque refertus, eſt annexus: quanquam hæc Moſcis ſit riſûs materies. Evenit namque, ut dum apud Germanos aliquot, factos mihi affectu conjunctiſſimos, hoſpes degerem, atque recepto illis, nobisque cibo lactucis veſcerer, circumſtantes admirabundi Moſci, partim indignantibus, partim explodentibus verbis, à cibo illo nos dehortati ſint, monentes nè beſtiarum more ad vorandum gramen converteremur.

Verùm ubi ad fæcundos vini calices, ingentesque cereviſiæ (eſt illa colore nigerrima ſpiritu fortiſſima, quæ licèt inebriet facilè, caput tamen dolore non gravat) ſcyphos ventum eſt: tunc enimverò humanum duxêre Moſci nobiſcum ad crebros uſque vomitus compotare. Viderat hoſpitalitatem Germanorum magnum apud me æſtimationis locum reperiſſe Cancellariæ Germanicæ Secretarius, qui Latinitatis aliquid in memoria adhuc retinebat, & placitúmne foret Domine (ad me ait) magni Cæſaris noſtri (ſic enim Czarum nominant) ob eam, quam calletis linguarum Polonicæ, Bohemicæ, Germanicæ, Latinæ & Italicæ diverſitatem, ſanè gratum agere miniſtrum? ſtipendium magnum, honoris incrementa, auri pondera pollicebatur. At ubi ex aliis ejusdem ſortis Germanis certum accepi, ſemel ſervitio Czari addictos, toto reliquo vitæ tempore cum tota domo ſua addicendos eſſe, quanquam ante propenderit animus pecuniarum ſpe illectus, mox

mox humaniter actis homini gratiis, auream mihi libertatem, aureis promiſſis præplacere reponebam.

Cæteras inter Germanorum induſtrias numeratur vaſta officina vitriaria uno abinde ſtadio diſſita; ferraria item, & ad Jaguſa flumen, quod extra Urbem in Moſcuam influit, Papyraria. Sunt etiamnum veſtigia, quæſitas ab eis fuiſſe quondam auri argentique fodinas, ſed irrito labore: quidquid illis auri argentique eſt, totum aliunde importatur.

Cimelia Moſcis ſunt multa & varia, Uniones, Smaragdi, Turcoides, Sapphyri, ex frequenti cum Perſis commercio, labore levi, pretio quoque ſanè exili. Rubini certe minuti iique ritè ſciſſi, adeò apud eos viles, ut per libras vænum proponantur: libra una viginti florenis Moſcoviticis, ſeu ſex Germanis.

Plana admodum eſt ad eam civitatis partem regio, ubi in jam dictis officinis labor Germanorum deſudat. Allexit Czarum rara planities, ut binis relaxationi ſuæ extructis excultiſque ibidem hortis (quorum unus ad Italicorum hortorum formam comptus, alter trecentis turriculis in cuſpides elegantes in uno eodemque ædificio deſinentibus, raroque artis opere ordinatis mirè ſpectabilis) locum fecerit nobiliorem. Et quia locus iſte præ reliquis animum Czari occupavit, eam ſibi ipſe legem impoſuit, ut ſingulis hebdomadis (favente aëris temperie) eodem ad pervidenda, perluſtrandaque, etſi quid ad ornatum deſideraretur ad ſuppeditanda omnia, ſe conferat.

Habent præ Urbe hac popinam communem, à potibus atque relaxationibus nec ſemper ſatis honeſtis, attamen Moſcis familiaribus, multùm famoſam. Eſt & uſitatum Moſcis, non in Urbe Moſcua aut præ-Urbio, verùm publico in campo locum potibus deſtinare, nè eorum compotantium petulantiæ & probra omnibus palam fiant. Solemne namque illis eſt, quem procandi, potandíve libido tenuerit, Urbe tantiſper deſertâ, in vicinam popinam, ad duos trésve ibidem agendos dies, noctéſque egredi ibidémque Veneris ſimul ac Bacchi ſolemnia agere, eo plerumque eventu, ut ubi ſolvendis hauſtibus epotis par non fuerit heluo,

veſti-

veſtibus exutus, nudatúsque etiam induſio à caupone, eo modo pretium ſupplente, publicum in campum ejiciatur, donec ad ſobrietatem ſomno redux nudusque aut ſeminudus in Urbem regreſſus obviorum plauſibus & probatæ temulentiæ præconiis excipiatur. Et verò ipſi mihi ejusmodi infames ſpectare contigit, quando Legatorum Aulam prætereuntes nudi toti, præterquam quod ſub telæ fruſto pudenda latuerint, tantas excitavêre populi acclamationes, ut inſolitum aliquid viſuque dignum arbitrantes miniſtrorum multi, feneſtras occupârint ad ſpectandum, neque videre licuit aliud, quàm heluonum probra, ob potandi peritiam à circumfuſa plebe collaudata.

Frequens Moſcis ab Urbe in aliam Urbem peregrinatio, quo fit ut omnis artis inſcii quàm plurimi, vitam aptè ſuſtentent Zwoſczik id eſt, vectores dicti, quorum ſubſtantia tota unus equus eſt, & curriculus ligneus. Hi in Urbis foro profecturos quoſcunque præſtolantur, levi planè pauculorum noſtratium cruciferorum pretio, etiam remotiùs devehunt.

Eſt id genus hominum adeo in opere ſuo pertinax, ut alter factus alteri obvius, rotas currûs alterius rotis implexas frangi potiùs, quàm orbitâ cedere præeligant, niſi ſeſſor obvius ſit Primorum aliquis.

Cap. XV.

Legatorum in Senatu Czari acta.

PEractâ Audientiâ, de qua Superiùs, tres otio deſtinatos dies, ſubſecuta eſt determinante Duce 23. Maji Seſſio prima, útque de manè conſilium, ità & hæc, & ſequentes, matutino tempori dabantur. In devehendis Legatis ad audientiam hic ordo obſervabatur. Milites à porta Legatorum aulæ, uſque ad ipſum Czari palatium pulchro ordine utrinque collocati, arma polita & mirum in modum fulgentia oſtentabant, videlicet Berdisz,

 cui

Berdisz.




cui terræ infixo appenderunt Sclopum; ex latere framea patrio nomine Ordinka nuncupata dependebat. Hic obſervanda differentia inter militem, & alterius conditionis hominem; nemo namque frameam femori alligare audet, præterquam miles; cæteri itaque loco ejusdem, longis cultris togâ obtectis utuntur.

Culter.



Milites electi, qui ab illis Krahulczik appellantur, trecenti pro Legatorum cuſtodia, Berdisz, ſclopis, frameis & parvis inſuper ſecuribus



armati ad ædes excubabant, pulchro ſemper & novo, vel aureis zonis vel argenteis ligulis diſtincto ad oſtentandam Ducis magnificentiam, induti amictu; vexilla habebant permagna, affabrè auro argentóque intertexta, tympanáque magnitudinem noſtrorum bis ſuperantia.

His ſuccedebant ternis diebus alii trecenti, itidem novo ſed aliò

aliò induti habitu; communiter tamen rubeo: & ità toto illo tempore, quo Legati intra pomœria Moſcuæ degebant, tam militem, quàm veſtem alternarunt. Duxerant poſt Currum Legatorum equiſones eorundem pro majori Pompa parippos duos pretioſiſſimè ephippiatos, quibus ob nimiam ferociam ipſos pedes ad certam diſtantiam colligare neceſſe erat; nihilominus Legati Lythuaniæ equus improvidum ſtabularium per brachium ità arripuit, ut miſer lacrymabilem clamorem ad adſtantium admirationem promere coactus fuerit; nec citò furens beſtia liberum dimiſit, ut dolor per ſeptimanas aliquot tolerandus eum cautiùs ſe gerere debere edocuerit. Hac primâ Seſſione occaſionem iñoteſcendi cum Legatis nacti ſunt Conſiliarii Magni Ducis, unde factum, ut mutuis ſe ſe ceremoniis ſalutantes, nihil negotii peregerint; brevique domum regreſſi ſunt. Elapſo die unu ſeſſio altera 25. Maji inſtituta eſt.

Hic primô cauſas Legationis congregatus Senatus excepit, Primariæ hæ numerabantur. Prima de armiſtitio cum Czaro, ad annos 14. ſecunda de conjunctione armorum, & ineundo fœdere contra Turcam. Tertia de reſtitutione Civitatum Smolensko, Kiowia & Capitaneatûs Wieliſſienſis, quibus Polonos privârunt; Quarta, denique de aſſumptione exercitii Catholicæ fidei: & de hoc ultimo puncto, ſtatim hâc primâ propoſitione, nè ulterior mentio fiat, inhibuit Czarus: tam faventes ſunt Catholicæ veritati, ut nè de illa audire velint, cùm tamen aliarum ſectarum exercitia non ſolùm admittant, ſed etiam illorum prædicantes & paſtores propriis expenſis alant. Alia adhuc puncta, quæ leniora & nullâ magnâ conſideratione egebant, mox obtenta ſunt.

Triduo præterlapſo, tertiam obtulit Seſſionem vigeſima octava Maji, quâ, ſicut & ſequentibus, non niſi de prioribus punctis Conſilia & diſceptationes habitæ ſunt. Seſſio itaque quarta, data eſt ſecundæ diei Junii. Quinta Octavæ Junii. Sextam ordinavit decima Junii. Septimam decima tertia Junii; octava determinata eſt decima quarta Junii, & Nona, decimo ſexto Junii. Ad quamlibet hanc ſeſſionem, prædictâ comitati pompâ ſunt Legatos,

gatos, curribus, equisque ad stuporem ornatis, &, quod diligenter observatum est, quâvis vice ad commonstrandam Czari Majestatem, variatis.

Vulgus Ducem suum omnibus, quæ dari possunt, rebus abundare proclamat, patrio adagio: wokazni Ezarzsky wosseho wosseho mnoho! id est, in thesauro nostri Czari omnium omnium rerum copia! cumque nos joci gratiâ Polonicè interrogassemus Maczeli wokazni Czarzky Choroby; habetisne in illo thesauro morbos, & alia absurda; respondebant: Qenoster, id est, plena omnia: quæ subinde non parvo inter nos risui occasionem præbuerunt. Illuxit dies decimus octavus Junii, adeò frigidus & ventosus, ut nivem magnitudine nucis juglandis parem attulerit, quam subsequentis diei serenitas mox resolvit.

Vigesima Junii dies festus juxta antiquum Calendarium divo Theodoro sacer, valde celebris ob Natalem Czari fuit, nemo enim hominum cujuscunque professionis laborare ausus est, quamvis diebus festis, & dominicis laboratum sit aliàs communiter. Personabant à manè usque ad vesperum in omnibus Ecclesiis campanæ tanto fragore, ut inexplicabilem auribus insuetis causarint abominationem: dúmque nos inexpectatam hanc solennitatem, satisque molestam miraremur; venerunt ad ædes nostras Adstites, Natalem sui Czari nuntiantes, eumque, ut optimam, quâ erga Legatos fertur, benevolentiam indicarent, jussisse nobis Convivium ad lætitiam hujus diei solennius transigendam præparari, magnâ reverentiâ significârunt; quo audito vicissim Legati gratias agere omnia faustissima apprecari, natalémque ad astra usque extollere coram Adstitibus cepêre. Factum itaque ut adventante meridie, adventarint unà coqui cum carris, cæterisque requisitis eo ordine, prout superiùs patefactum, omniáque ad epulas disponentes magnæ incrementa spei convivii futuri melioris dederunt, cum dies lunæ fuerit, quo nos utique carnibus refecturos autumavimus. Sed fefellit spem præsentia quadragesimalium penè crudorum, ducentorum tamen ferculorum majori ex parte oleo lini infectorum. Hîc verè deceptus est appetitus, dum unos aver-

avertebat oculos, alter nauseam concipiebat, tertius disgustu laborabat, tantùm profectò acquisiverunt ex aspectu ardorem convivandi. Jamque Knias sui Czari nomine missus, Legatos invitatos ad triclinium deduxit, sed tam gratas videntes epulas, gratias pro delicioso hoc convivio egerunt, suoque ut frui possent prandio, & carnibus vesci, licentiam, quæ etiam concessa est, petiverunt. Interim hæc cruda anthropophagis digniora fercula se velle in diem abstinentiæ differre; quod etiam factum, & præfecti culinæ cujusvis Legatorum æqualem inter se divisionem facientes, ad proprias culinas deportari jusserunt. Haustum tamen, quem unà attulerunt, absumere & pocula evacuare cum illis non omisimus. Illis absentibus nos inter tubarum, tympanorumque harmoniam splendidè cibos consuetos epulantes, & in sanitatem Czari crateras alacriter à suis ponderibus levantes, solennitatem hujus Natalis consummavimus.

Venit dies 21. Junii, quâ Sessio decima instituta fuit, ex qua cum Legati reduces venissent, videbantur, malè contenti, adeò, ut audiverim meum Principem dixisse sæpiùs, se malle cum ferocibus Tartaris, & Turcis agere, quàm cum inconstantibus Moscis, qui semel, statuta revocabant, & revocata iterum statuebant.

Sessio Undecima habita est 22. Junii. Duodecima 27. Junii. Decima tertia 28. Junii. Decima quarta 3. Julii. Decima quinta 5. Julii. Hæc Sessio exguiam dedit spem aliquid fructuosi in Legationis expeditione efficiendi, cùm Moscos multùm contrarios esse animadversum sit. Hujus dissensionis maximum processit momentum ex restitutione petita Palatinatûs Smolensk, & Kiow, & Capitaneatûs Wielissiensis, qui continet Civitates Schewirs, Newel, & Wielisch, quæ armatâ manu Polonis Mosci eripuêre. Hæc restituere noluerat Czar, adeóque ut aliquod æquivalens peterent, insinuavit. Petiverunt ergo Legati sex Milliones aureorum, ad quod attoniti Mosci sexies centena Millia obtulêre. Hanc itaque improportionem, & vilipendentiam sui vicissim irridentes, & respuentes Legati, reposuêre, suum Regem

Poloniæ posse illa, & velle, ni aliter concluserint, armatâ manu recuperare; ad quod responsum excandescens Czar, indignatique Senatores, mox ordinare se velle Legatum in Turciam, unionemque armorum cum Sultano contra Poloniam inire. Interea verò Legatum Principem tanquam nimium pertinacem, captivum, servare tam diu, donec, qui negotium apud Sultanum successisset resciretur; Legatum verò alterum in Poloniam remittere minatus est. Triste erat fateor auribus inexpectatum responsum, ast sprevit innata indoli Polonicæ generositas fictiles has comminationes, huncq; pavorem, seque ad resistendum, & his obviandum præparare Legati intenderunt. Redierunt itaque in ædes & convocatis aliquibus majoris officii, licet aliquantum consternatis scænam hanc tragicam exposuerunt; cæteri, metum non exiguum concepimus, At in similibus jam exercitatus Lithuano-Polonus Genius, facilem invenit obviandi modum, ut contrarium pelleret contrario. Quocirca, ne prævaleret metus, collocatis in sublimi ad sonum lætissimè spargendum tubicinibus, & tympanistis; in pergulis quoque ordinatis variæ harmoniæ musicis, insolitæ lætitiæ argumenta, vino etiam largè propinato, dederunt; quod nobis omnibus tunc adhuc ignorantibus, quid sibi hæc tam extraordinaria & insperata lætitia vellet, mirum apparebat.

Præterlapsis in hoc dulcisono instrumentorum fœdere aliquot horis, advenêre Adstites ad percontandum raræ hujus lætitiæ, causam; cùm autem à nemine rescire possent, Legatos accesserunt; his benevolè exceptis, Legati mox scyphum, non parvum deauratum in sanitatem Czari propinavêre, quem, ni sanitas Ducis fuisset, more suo respuissent, tam parùm affecti exteris, ut neque inter liberas Liberi patris delicias, ullam inire cum eis conversationem liberiorem velint. Itaque volentibus scire hujusmodi lætitiæ causam, reposuerunt, Legatos non tantùm sibi invicem valedicere, sed & toti Moscoviæ; insuper Principem se in exilium parare. Hoc audito, præmissâ decenti salutatione abierunt.

Neque propter hoc interrupta est inchoata Legatorum lætitia, quæ cùm ad mediam usq; noctem continuo tympanorum fragore, tubarum clangore, musicalium instrumentorum sono personuisset, ipsum deniq; Czarum ad sciscitandum, quid hoc lætitiæ, & ubinam esset, compulit; turbatus quippe Czar, servum apud se dormientem vocavit, quem profundò sepultum somno excitare ubi non potuit, surrexit ipse, servumq; excitare intendens, arrepto lumine, barbam ejus pro more amplam, succendit, qui tamen expergefactus priùs non est, donec barba incendii instar ad mentum usq; conflagrâsset. Hic, quid secum ageretur ignarus, cùm barba arderet, clamare cœpit Palatium ardere. Missus itaque est ad sciscitandum, ubi nam esset, hæc lætitia? qui primò ob barbam miseram à Czaro accensam (hanc maximum ornamentum reputant) tristis abiit, & ductore tubarum sono ad aulam nostram advenit: ibi cum à nemine excubiarum, quæ tantæ causa esset lætitiæ, condignè certior fieri potuisset, coactus est, retrahente quamvis ob combustam barbam pudore, illam ipsam, ubi lætitiæ signa dabantur, pergulam ascendere, ministrumq; Legatorum, quem obvium planè habuit, interrogare: Minister tam gratum hospitem mox deduxit ad Legatos, cui ad interrogationum idem, quod Adstitibus, responsum est, utq; imberbis hujus, & pustulis undiq; adornatæ faciei apud illos inconsuetæ, Moscum contemplari meliùs possent, scyphum vini in sanitatem sui Czari obtulerunt, causam quid sibi hoc genus faciei vellet, quærentes; quibus pudibundus combustam sibi à Czaro barbam cum fletu narravit: & sic responsum referens abivit; Interea Legati fortiùs exhilarari, & Tubicines alacrius inflare jusserunt, atque ita cum Czar ob irremissum turbarum clangorem somnum capere non posset, remisit brevi imberbem illum Legatis nuntiando, ut saltem in gratiam sui, quòd dormire non posset, ab inchoata lætitia cessarent: quod mox factum, & somno, vinoq; gravata capita quietem auspicata sunt.

Redeunte Sole advenerunt Adstites, indicantes Sessionem, ad quam licet nec dum serenatis capitibus, tamen perrexerunt. Hæc Sessiò jam decima sexta, habita est 6ta Julii: quam excepit decima septima

septima 15. Julii & decima octava 16. Julii. His tribus sessionibus omnia secretè agebantur, ità, ut ne minimum quidem audiri potuerit. Sed non diu latuit unguibus suis exporrectis leo, quin unicus saltem latentem proderet. Nam cùm Legati Reipublicæ suæ bono patrocinantes causam suam fortiter propugnarent, neque perniciosis, violentisque sibi propositis conditionibus assentire vellent; Mosci quòd in cassum disceptationes caderent, injicere terrorem volebant. Jusserunt sequenti die advenire Podwodas (sunt rustici cum carris & equis) hoc prætextu, quòd Legatos ob nimiam pervicaciam, imperfectâ expeditione in Poloniam, ut onera eorum devehere juvarent, remittere vellent. Hic terror major erat præcedenti, dum omnia ad reditum à Moscis apparabantur, ficte tamen in gratiam movendi solùm Legatos ad conditiones sibi gratas eo promptius ineundas. Sed & hîc oleum & operam perdiderunt; maluerunt enim imperfecta re Legati redire, quàm ad illud, quod Reipublicæ detrimento esset, consentire. Itaque currus & ipsi suos extrahere, reparare, res deferre, in currus componere, & se seriò pro itinere præparare, ceperunt. Videntes ergo Mosci se minùs minis, quàm prudenti conferentiâ efficere, iniuêre potiùs de novo postpositâ omni sui confusione cum Legatis sessiones. Secuta ergo est Sessio in ordine Decima nona 21. Julii. Vigesima. 22. Julii, quibus factum est, ut vanis terrorum fictionibus relictis, paulatim ad oblatas Legatorum petitiones inclinarint.

CAPUT XVI.

Pacta inter Moscos & Polonos jurata.

UT primum illum metûm futilem exceperat jucundus tympanorum tubarumque chorus; ita secundum hunc inani terrore prætextatum, exsolvit duarum millionum summa. Ecce!

Quam gratus venit nobis post nubila Phœbus,
Et longo dulcis capta labore quies!

Itaque post translapsa disceptationum nubila, Vigesima prima Sessio

sessio undique rutilantem in candicantibus fortunæ quadrigis aureum nobis Cynthium 23. Julii præsentavit. Ad Legatorum Votum hæc sessio transacta est, dum utraque pars in consensu duorum millionum paratæ pecuniæ placidè conquiesceret, & Capitaneatum Wielischiensem cum omnibus suis civitatibus, oppidis, & pagis Czar restitueret; tali tamen conditione, ut cùm id in gratiam Principis Legati faceret, nulli etiam, nisi Principi illi, cederet, quod & à Rege Poloniæ præstitum deinde est. Conjunctionem quoque armorum contra Turcam inierunt. Ratione Fidei Catholicæ ob impetrata alia, ne illos disgustaret Princeps Legatus, nullam ausus est facere mentionem: atque ita afflantibus Tonantis pacifici favoniis, comitantibusque aggratulationum titulis, ad ædes suas recepêre se se Legati.

Contigit his diebus, ut aliqua fæmina amoris sagittâ vulnerata, in aliquem Polonum ministrum Legatorum, sua vicissim spicula dirigeret; quod advertens maritus, eam verbis an verberibus? excepit. Fæmina semi, præ amore, rabida, partim ut majorem amandi faceret sibi licentiam, partim etiam ex ulciscendi ardore, marito suo morte guttur discindendo, dolorem suum ulta est. Ast prodita fæmina, pœnas luere, non tamen vitâ privari debuit, cùm hic ob homicidium, non nisi candelam unam, aut plures, in auxilium animæ occisi, & ad suam redimendam culpam, offerant. Quia tamen maritum occidit, hoc supplicium ei tulerunt, ut denudata, manibus retro colligatis, media in humum defossa, tribus diebus & noctibus duraret; absolutis illis libera dimitteretur. Quid factum? ecce canes, qui macerrimi passim civitatem, pabulum quærentes obambulant, sensu odoris ducti, miseram invadunt, mordent & luctantem, ad adstantium horrorem (neque enim eam defendere ausi sunt) dilacerant. Illa inermis vociferatione, luctamine, & dentium stridore, quibus non unum canem arripuit, se se ut potuit defendens, denique fatigata, post parvum tempus exanimata est, quam postmodum canes effoderunt, & ferè integram devorârunt. An non actus iste sit Tyrannicus, & planè bestialis dijudicandum Lectori trado. Secuta

L est

est Vigesima secunda Sessio 24. Julii, & Vigesima tertia 25. Julii. His jam sessionibus omnia unanimi consensu peracta erant; solummodo roborans utrinque pacta juramentum restabat, ad quod persolvendum diem sequentem elegerunt, 26. Julii oriente sole ortus est non tam Sessionis, quàm ceremoniæ spiritualis apparatus. Jamque Legati in aulam advenerant, deliberaturi, quo in loco iuramenti solennitas opportunè peragi posset, an in Hypocausto, ubi Sessiones peragebantur, an in Capella Ducis? Et verò resolutio Czari venit, ut in Capella perageretur. Hoc audito magna adstantium turba, in qua & ego fui, spectandi avida mox turmatim se intruserat; & ego quidem curiositatis gratiâ videndi Capellam Czari me inclinando, ne me viderent (indutus enim habitu Germanico fui) unâ cum aliis operâ sequentium intrusus sum: aliàs si me advertissent, ante portam profectò vigilias egissem. Cùm jam intus existentem me Poppus quidam interrogaret, quid hîc vellem? quomodo ingressus fuerim? quasi indignus tam sacro loco? nî forte adstantium testimonium, me esse baptizatum (quod cruce à me formatâ approbare debui) patrocinatum fuisset, me utique capellâ expulisset.

Hujus Capellæ D. Nicolao sacræ, de qua superius mentionem feci, pulchritudinem intrinsecam, splendorem, & pretium describere condignè non valeo, quippe ad splendescentem auri, argenti, adamantum, & unionum nitorem nimiùm oculi mei caligârunt; proponam tamen, quod caligo ingenii mei imbecilliter assequitur. Intus capella est aliquantùm tenebrosa, & angusta, altare Græco ritu per medium Capellæ quasi scenâ præcinctum, multo auro, argentoque ditissimè adornatum. Superius per latitudinem Capellæ stant duodecim Apostolorum pulchro ordine dispositorum imagines, in quorum & altaris medio visitur Salvator noster. Sub illis siti sunt eorum Patriarchæ. In medio altaris, sub Magistro Apostolorum, est porta duarum alarum, quæ tunc etiam aperta fuit, post quam conspexi majus altare divitiis ingentibus coruscans; & in hoc celebrant sua sacrificia. Utrinque ad partes Capellæ duo altaria, in quibus dextrorsum Christus Dominus in statura pictus per magna: sinistrorsum Mater DEI ejusdem staturæ, & proportionis. Penes quodlibet hoc altare, erat iterum porta minor, & ad latera iterum duo altaria. In uno S. Nicolaus apud eos in cultu summus Patriarcha; in altero B. Virgo infantulum in amplexibus gestans, quæ tam formosa erat, ut videntes, eam inviderint huic loco. In medio Capellæ stetit altum scabellum ad legenda Evangelia aptum, cui sumptuosus splendorem addebat tapes; in hoc positus erat Evangelii liber ad octo digitos crassus, artificiosè auro, argento, omnisque generis unionibus distinctus; hunc circumdederant Poppi elegantissimè apparati, expectantes Senatores Moscos, & Legatos.

Interea Princeps Legatus misit currum pro suo, coram quo depositurus esset Juramentum Dominicano Capellano, qui sumtis Albâ Missali, & Crucifixo, candelis & facibus, unâque imagine argento circumquaq; largè obductâ Beatissimæ Virginis, cum altero quoque Excellentissimi Palatini Capellano in aulam advenit; cùmque jamjam Legati ad Capellam descendere vellent, repugnârunt Capellani, causati non convenire in schismatica Ecclesia ceremonias Catholicas peragi; unde factum, ut hypocaustum, eligeretur. Missus itaque est Diak (quasi Cancellista) ad Moschorum Poppos nuntiando Legatos non posse, nec audere in eorum Capella juramentum persolvere, adeoque ut illis ascendere placeret. Itaque assurgentes, hoc processerunt ordine. Primò ibant duo Czernici, id est Monachi, vestitu induti Diaconorum, scabellum supra nominatum portantes; tum unus totam inauratam candelam præferebat; huc sequebantur duo Poppi, quasi Parochi, splendidè ornati, thurribulis librum Evangelii suffumigantes, quem duo quasi Abbates portantes procedebant. Hos duos valdè pretiosè auro gemmisque elaborata ornabant paludamenta. Ad latera horum duo magna candelabra argentea candelis accensis portârunt duo quasi Diaconi sumptuosè vestiti, qui subsequentem tandem habuerunt Grandævum quendam quasi Episcopum, qui unionibus maximis undique in flores affabrè circumsutis ornatum paludamentum gerens, stipantibus iterum la-

tera duobus Capellanis æquali ſplendore ornatis, graviter progrediebatur. Hîc meus denuo ſolicitus erat ingrediendi animus, cumque turmatim ad ipſam hypocauſti januam deveniſſemus, aliquam inter ſe moverunt Senatores quæſtionem, quæ antequam deciſa eſſet, nos ultra horam foris expectare fecit; tandemque intromiſſis aliis, ego magna cum difficultate etiam ingreſſus fui.

Primò ergo Monachi, in medio ſcabellum poſuêre, ſupra quod liber ille grandis collocatus fuit, & tum ad latera cum candelis accenſis ſtabant.. Omnes ordine Dignitatis diſpoſiti: ita ut proximus huic libro ſteterit Epiſcopus. Proceſſerunt itaque ſingulatim Senatores Moſci ad hunc librum; & præoravit primarius ille Knias, quaſi Princeps, formulam juramenti Rutheno idiomate, quam alii repetentes, ſe frequenter, & profundè coram illo libro inclinârunt, finitaque formulâ cùm profunda reverentia abierunt. Capellanus noſter Dominicanus extruens more Catholico altare, duobus Cubiculariis faces tenentibus, in Alba & Stola ſedens, Legatorum juramentum excepit; & ſic finita eſt utrorumque Juramenti ſolemnitas, atque ne roborata ſemel partium juramentis pacta vacillarent, petiverunt Legati etiam ipſius Magni Ducis pro Confirmatione juramentum, quod exſequentibus unâ electâ diebus perſolvendum Senatores promiſère.

Noſtra aliàs recreatio & diſtractio his temporibus communiter erat in Kukui Civitate, ubi cum Germanis vel luſui pyramidum, vel colloquiis, ſed maximè poculis cereviſiæ evacuandis, (cujus bonitas plurimùm nos allexit) ſtudebamus, Noſtræ Dragoniæ ſeu militum deſultoriorum Leitenontius ſeu Locum tenens, quandam juvenem Viduam Lutheranam ibi adamavit, & cum ea ſponſalia inivit. Habuit hæc Matrem, Vitricum, Fratres, Sorores, & amicos copioſos. Vitricus hic natione Germanus, multis ante annis in militia Czari fuit, Geometræ, aut Magiſtri Artileriæ munus gerens, dúmque aliquot annis inter inconditos Moſcorum mores perſeveràſſet, petiit amore dulcis ſoli ductus, patrios penates reviſere. Sed infelix ex ſolo inſinuato abſceſſu tam graviter impegit, ut vix non vitam perdidiſſet: Sciverunt illi, quod omnis eorum fortificationis cognitionem haberet, adeoque ex timore proditionis, & immiti in alienigenas rabie, varias in eum tulerunt Sententias, ex quibus hæc electa fuit, ut manus & pedes illi, ne aliquomodo invitis illis ſe ſe ſubduceret, confringerentur, manus verò dextra planè abſecaretur: quod executioni etiam datum eſt, niſi quod locò manûs dextræ, ſiniſtrâ privatus ſit, cùm ſe Lutheranum profeſſus, debere crucem dextrâ formare diceret; adeoque ne prorſus formatione crucis orbaretur. Miſer homo genibus ſerpere coactus, vix ſanatus eſt, cùm alterum itidem ei obviavit infortunium per haſce nuptias. Cùm enim veniſſet ad Przikaz/ hoc eſt Cancellariam Germanicam cum Supplicatione pro licentia filiæ celebrandi nuptias impetranda, eaque denegata fuiſſet; nihilominus, quia ſponſus ex Legatorum aula erat, qui copulationem eo reſpectu ſibi impunè futuram ſperabat, adeoque apud hunc Vitricum nuptias porrò urgebat, ideo tandem, etſi contra Decretum Cancellariæ, in nuptias clandeſtinè peragendas conſenſit. Itaque ſponſam aſſumptâ prius fide Catholicâ, vinculo matrimonii per Capellanum noſtrum Dominicanum ſponſo juncta, Nuptiarumque ſolennitas celebrata eſt in domo cujusdam Viduæ relictæ poſt Capitaneum Regiminis. Læti erant inter dulciſonos applaudentium choros per duas dies; & ecce tertiâ die ex improviſo veniunt vigiliæ, ſine miſericordia illam hoſpitam Viduam, ac hunc confractum Vitricum, & alios adhuc convivas, in carcerem deducunt: Sponus tamen, ſponſa, & Mater expeditâ pedum alacritate evaſerunt, & ſeſe in Civitate abſconderunt. Captivi ergo omni ſpe liberationis amiſsâ pænas luere debuerunt, atque nè iſte contra moderatorum licentiam commiſſus exceſſus traheretur in exemplum aliis, mox Viduam ad forum deducunt, publicè ad terram proſtratam detectâ togâ verberant nudam loris, continuis quinquaginta facilè ictibus, nullis lamentis mitigati, neque adſtantium precationibus commoti donec numerum, qui aſſignatus erat, perſolverent. Miſera fæmina immota jacuit, & credebatur à nobis exanimata: applicato tamen ad nares confortativo, ſibi reſtituta, atque in ma-

nibus fæminarum, concomitantibus lacrymis domum reportata est. Vitrico illi licet confracto, idem factum bacillo & centum ictibus culpa redempta. Instrumentum hujus tam placidæ executionis est bacillus, vix crassitiem auricularis digiti exuperans; nihilominus tam durus, & firmus, ut non facilè frangatur: hoc modo delinquentes verberati ad horrorem vociferantur Hoc genus (quod Batogi vocant) Verberationis vix non quotidianum est, nam quodlibet, etiam maximum, facinus, quia libentissimè fletus, & gemitus audiunt, hoc modo vindicant. Aliud adhuc genus, quod Knoti apellant, est flagellum simile illi, quod pro equis coërcendis in ludo equestri habetur: in fine tamen sunt fila ærea unius spitamæ longa. Hoc flagello plerumque animam è corpore pellunt, quia quilibet ictus horridè pellem discindit. Cæterum incarcerant, fame, & levioribus pœnis torquent.

Caput XVII.

Inconstantia Moscorum: Czechrinum à Turcis captum: Benedictio fluminis.

ADeô inconstans, & infidus est Moscorum animus, ut fidem juramento publico firmatam moventibus stomachum quibusdam scrupulis non plus ultra unam noctem servare potuerit. Ratio, quam adstruebant, fuit, quod præcedentium Legationum pacta, quæ Andrussoviensia nominant, non confirmârint. Instituta est itaque Sessio vigesima quinta 27. Julii, ad quam citati Legati, existimantes Czari juramentum splendidè futurum, comparuerunt; sed fefellit opinio, cùm illa pacta, quæ Mosci servari volebant, sex integrarum horarum lectione indiguerint, ita ut nos hujus extraordinariæ moræ causam ignorantes, variis animum nostrum conjecturis oneraverimus.

Recluso 28. Julii Solis jubare vigesimam sextam Sessionem inivérunt. Hâc Sessione sperabatur procerto Juramentum Czari fore, sed vel propriâ Moscorum dissensione, & discordiâ, vel Ducis ipsius inconstantiâ factum, ut ob privatam inter se altercationem, impeditum fuerit. Latuit hic angvis in herba, cùm Senatores alii juramentum servare, alii mutare, alii prorsus revocare conati, discordiæ semina sparserint. Ut igitur Legatorum conatus detinerentur, juramentum Czari donec in placido omnes consensu, conquiescerent, differebant. Secuta est Sessio vigesima septima, 1. Augusti. Sed neque hâc quidquam fructuosi peractum est, solùm de Juramento Czari discep tabant, quòd sequenti die futurum Senatores (sed invanum cùm nulla fuerit Sessio) spospónderant. Interea bona advolavit fama, afferens Victoriam contra Turcam, ante Civitatem Czehrin obtentam, quæ totâ æstate ab eo cum bis centenis armatorum millibus, oppugnata, & totidem millibus à Moscis defensa fuit. Narrabatur autem, quod Generalissimus Radamanowski, cum suo exercitu Turcam ex una parte castris exuerit, & ad 50. eorum millia, spoliis ingentibus acquisitis trucidaverit. Quia tamen magnâ etiam sui exercitûs parte spoliatus fuit, incidit in Czari indignationem, qui eum revocare, & officio dejicere decrevit. Amicorum tamen beneficio iterum reconciliatus, ob mox narrandam inimico illatam cladem, conceptum Czari odium cum favore, & æstimatione commutavit. Cùm enim Turca, non adeò castra deperdita curans, fortiùs Czehrinium obsedisset, atque expugnatam Civitatem etiam totali ruinæ dedisset, Generalissimus arcem Civitati adsitam ingreditur; & quia benè advertit, nec hanc diu teneri posse; clandestinè cuniculos in arce fieri, & multo pulvere repleri fecit, ac inimico arcem sponte in potestatem tradidit, quam cum Turca plenus applausu, toto cum milite ingrederetur, & circumcingeret, ecce incensis à Generalissimo cuniculis multa millia Turcarum una cum arce in aëra abierunt, pluraque adhuc millia terra obruta, & viva sine vespillonum adminiculo sepulta sunt.

Vigesima octava Sessio, 6. Augusti habita, in qua graviter utrinque disceptabatur, ita ut cum tædio, & indignatione Legati secedere coacti sint, maximè cùm animadvertissent, Moscos non

non tantùm in pactis plenisque jam juramento firmatis vacillare, ſed & à toto velle recapitulare.

Nona Auguſti ſecumtulit Seſſionem 29. hâc nil perniciofius Legatis erat, cùm ob pernicioſam inſtabilitatem ab hora nona matutina, usque ad quartam veſpertinam contrarios inter ſermones diſceptatum ſit, atque faſtidio comitati domum Legati, primò tunc prandio ſeſe refecerint. Mirabile equidem eſt, quod dum tamdiu Legati intra Comitiorum parietes cum Senatoribus graviter, & gnaviter contenderunt, ipſi etiam miniſtri eorum cum Moſcis rixas ſæpè ſæpiùs ad vitæ exitium, nî vigil excubiarum diligentia adfuiſſet, iniverint. Maximè & primariò eæ oriebantur ob fraudulentas pellium ſobollinarum Venditiones. Cùm enim rixoſos, & judæorum more deceptores advertiſſemus Moſcos medietatem æſtimationi offerebamus. Hîc ſtatim Moſci ad blasphemias, & ſtommata deſcendentes, reciprocè ſubinde etiam colaphis excipiebantur, & ulterius deventum fuiſſet, nî vigiliæ ſtatim adveniſſent, quæ advertentes nimis blasphemum venditorem, ſæpè baculis dorſum ejus dimenſi ſunt, cum epiphonemate. Pudy / Pudy / bledyn Syn.

Trigeſima Seſſio, in ipſo Feſto S. Laurentii 10. Auguſti indicta propter noſtram S. Martyris ſolennitatem manè differenda fuit, neque enim feſtis nobiſcum concordant. Ab hora tamen ſecunda usque ad decimam noctis, verbis pugnatum eſt. Videbatur namque Moſcis difficile reddere Urbes Smolensk & Kiow; æquivalens quoque torquebat dare nimirum ſummam duorum millionum monetæ Polonicæ (quæ ſumma non niſi bis centena millia efficit aureorum) nulla tamen ulteriori diſceptatione egebant, cùm jam dudum poſtulatis Legatorum aſſentientes, juramento publico id firmaverint. Interea anniverſarius oriebatur dies 11. Auguſti, quo Patriarcha aliquot ſtipatus Prælatis fluvium Moſcuam benedicere ſolet. Aſcendit ergo cum Poppis ſuis theatrum, quod extructum mox ſub arce Czari, ſupra fluvium erat, egregiæ amplitudinis, ſed tam demiſſum, ut aquam exporrectâ manu attingere potuerint: Qualibus autem ad benedictionem hanc ceremoniis uſus ſit Patriarcha, videre propè erat impoſſibile, cùm tantus hominum concurſus, qui annuam illam ſpectabant ſolennitatem, fuerit, ut omnes omnino angulos adimpletos adverterimus. Itaque eminus ſpectare coactus, conſpexi plurimas corporum inclinationes, magnæ crucis argenteæ ad populum præſentationes, qui univerſim inclinato profundè capite cruces continuò formabant, cúmque ceremoniarum finem advertiſſent, univerſim ſexus utriusque parvi & magni cujuscunque fuerunt conditionis ſe veſtibus exuere cœperunt; ubi demirari primò nos fecit quid ſibi hoc vellet? Benedicto ergo flumine accepit Patriarcha imaginem Beatiſſimæ Virginis Jeſulum portantis, tribúsque vicibus immerſit: & eo momento ſe Moſci turmatim in aquam abjicere ac ſinè omni verecundia nudi, aquæ benedictæ immergere promiſcuè feſtinabant tanto numero, & fluvius intumuerit, & pontem ei ſupernatantem elevaverit. Quod dum mirarer ſciendi avidus, percontatus ſum, quid hæc imaginis immerſio ſecum ferret? at reſponſum non ſatis potui intelligere. Nihilominus tamen hanc ſuæ cauſam immerſionis dederunt: Infantes hîc baptismo initiari, ac denique omnes delinquentes remiſſionem peccatorum, & inſuper indulgentias conſequi. Peractis optimo ſucceſſu illis immerſionibus & indecentibus clamoribus, vix Patriarcha cum aſſiſtentibus ſuam attigit reſidentiam, ecce in Zemlenigorod ignis horâ primâ pomeridianâ exorſus, exuſtis jam aliquot plateis, antequam homines flumini innatantes, ſe ad pulſum campanæ ignem denuntiantis, induiſſent, & accurriſſent, usque ad horam ſextam tam potenter profecit, ut pene ſex millia caſarum cum hortis, frumento, pecudibus, Eccleſiis plurimis, ad liquefactionem campanarum, & aliquot hominibus conſumpſerit; neque tam facilè ſopitus fuiſſet, ſi ad muros albos usque, qui Bialgorod nuncupantur, delatus à ventis non fuiſſet, ubi nullum reperiens pabulum, paulatim extinctus eſt.

Trigeſima prima Seſſio evenit 15. Auguſti, quâ nec ipſi feſto Beatiſſimæ Virginis in cælos aſſumptæ, poſt prandium pepercere. Exoptabant enim Legati ſemel ab illorum inſtabilitate & ignominioſa

niosa ingeniorum vafritie liberari. Sperabant quoque tandem juramentum Czari subsecuturum. Ast Mosci pacta sua jam jurata iterum reformata, altero novo juramento roborârunt. Necdum Legati erant de fine sessionum futuro certi, cùm jam Moscorum egregiam inconstantiam experti, an non adhuc pacta, & juramentum pertubaretur, expectarent. Restabat semper Czari juramentum, quod studio differebant, ut retrocedere, si aliquid occurreret, possent. Tandem tamen Adstites resolutionem deponendi die 17. Augusti à Czaro juramenti, Legatis denuntiantes, magno nos omnes gaudio repleverunt.

Caput XVIII.

Juramentum Czari, & Finis Legationis.

ITáque sub auroram 17. Augusti, omnes Aulici sese ad assistentiam Legatis præbendam splendidè adornârunt. Circa nonam matutinam adventantes cum Rheda, magnificóque comitatu Adstites, exceperunt Legatos, atque cùm omnes jam paratos vidissent, non diu morantes, locatis in Rhedam Legatis ad Sessionem trigesimam secundam 17. Augusti perrexerunt; ubi horâ integrâ inter se adhuc disceptantes, (cujus disceptationis capita quidam Kniaz Czaro ultro citróque referebat) demum Sedatis disceptationum Euris conventum est. Deducti Legati ad audientiæ Palatium Magni Ducis jam in Throno sedentis, adstante ad latera ejus Nobilitate sumptuosissimè indutâ, Juramenti solennitatem spectârunt. Hujus brevis erat ceremonia. Primò enim advenit, quasi Episcopus, cum aliquot Poppis, librum Evangelii portantibus: collocatis illis ante Thronum, supremus Præfectus præoravit juramenti formulam, quam Czar inclinato paulisper vertice, repetens, ita persolvit juramentum; quo peracto stabilita, tandem fundamentaliter sunt Senatorum pacta, & Legatorum feliciter finita expeditio.

Hic etiam Dux ad Regem tradi jussit compactata, statimque adstans Kniaz, inclinando se ante Thronum, accessit Legatos, eisque

eisque litteras commissoriales ad Regem magno cum sigillo munitas tradidit, quibus assumptis profundam Czaro reverentiam facientes, de peracto tam feliciter Legationis suæ successu, & affabili erga se suosque Czari benevolentia, gratias agentes, magno cum solatio domum regressi sunt. Jam igne cupiditatis flagrabant præcordia ob donum, quod impertiri omnibus Legationis Aulicis, magnus Dux consuevit, diemque magno desiderio expectabamus.

Ante occasum diei hujus, venerunt ad Legatos Adstites, nuntiantes, sequentem determinatum à Czaro esse diem pro ultima audientia, & manûs osculatione: unde conclusimus nos brevi vale obtenturos, defatigationisque nostræ terminum bonum, fructuosumq; assecuturos. Advenerunt itaque adventante aureo auroræ amictu, majori comitati numero, & splendore pro Legatis; quippe sex equos albos notis subnigris, ad instar tigridum variegatos, & ad Rhedam totam deauratam junctos (quæ ambo præcedentibus annis Legati Galliæ dono dederant) ad devehendos in Sessionem obtulerunt Legatis. Hæc ultima trigesima tertia Sessio, vel potiùs valedictio 18. Augusti obtinuit. Deducti sumus ad aliud ædificium, ligneum tamen, Legatos comitantes, quivis enim ultimæ præsens salutationi esse cupiebat. Erat hypocaustum tapetibus Romanorum præliis eleganter insignitis (hoc quoque Rex Galliæ Antecessoribus Czari præsentavit) exornatum, cujus tabulatum Cælestibus signis cum Zodiaco planetarumque cursu depictum erat. Ingressi Czarum in humili Throno sedentem conspeximus, qui reducibus Legatis iter felix apprecatus, sua quoque munera Regi, Legatis, & cæteris Aulicis distribuenda promisit; quæ quidem dona neque artificiali venusta ingenio, neque aureo, argenteoque onusta decore, sed hirsutis pellium sobolinarum villis, magnificentiam, & liberalitatem Czari designârunt. Ad demonstrandam demum Czar suam gratiam, porrexit manum dextram Legatis & Aulicis præcipuis osculandam, valedicens Legatis, Fratrem suum Regem Poloniæ salutandum commisit, & adhuc ad ultimum convivium, quod in nostram

M 2 stram

ftram deportatum eſt aulam, Legatos invitavit; ſicque dimiſſi ſumus. Vix ergo domum regreſſi, jam currus cibis onuſti cum coquis, & rebus culinæ neceſſariis eodem ſplendore, ut jam bis memoratum eſt aderant, qui tamen, quia denuo crudi, & jejunales cibi, cùm dies carnium fuerit, parùm placebant.

Huic ultimato Convivio aſſidendum erat, neceſſariò, nè offenderetur Czar & ſpretus ejus videretur affectus. Quanquam delicatus ventriculus eo parum delectatus ſit; Vinum tamen aliqualem, quod triplex appoſuerunt, addidit guſtum. Moſci, qui ad inſerviendum aſſignati erant, ſtrenuè pocula levare juverunt, ita ut accenſo jam cerebro, quod per mixtionem cremati, mulſi & vini citiſſimè fit, ad clamores, ululatus, & etiam rixas deſcenderint; ad quod attoniti Legati, præſentiam ſuam condignè non æſtimari, indignati ſunt. Hoc advertentes Adſtites, nè aliquod malum, cum utrinque humor verticem obſediſſet, eveniret, per vigilias hos rixatores, & ebrios ejici mandârunt. Neque diu inter hanc cruditatem ciborum & haud moratam Moſcorum perverſitatem, morabamur, ſed ordinarium adeuntes prandium, quod carnes præſentavit, appetitui meliùs conſulimus. Cum ergo utraque pars jam pacta approbata juramento publico firmâſſet, pacificamq; amicitiam iniviſſet, hanc ſuæ Liberationis occaſionem arripuerunt Sclavi, qui tempore belli ante Smolenskum captivati erant, & in eum usque diem in magnis moleſtiis, ærumnis & laboribus degere cogebantur. Convenerunt igitur aliquot, & quidam ex illis, accedens ſuum Dominum, petivit captivitatis remiſſionem, ut cum Legatis rediret in Poloniam; quem furens Dominus non tantum non dimiſit, ſed diris adhuc tractatum verberibus, carceri mancipavit. Reſcitum hoc ab alio, qui nè & ſibi idem accideret, acceptis rebus ſuis optimis, clàm ad aulam noſtram confugit; Tertium hoc attentare volentem, qui Nobilis Polonus erat, uxore & prolibus impeditum, prævenit Dominus, & ingenti ferreâ catena vinctum, à propoſito abſtrahere tentavit; aſt captivus, tyrannidem Domini dolo tali evaſit: Juſſit ab Uxore mutuo accipi pallium Germanicum, & pileum, catenasque

nasque telâ ad impediendum ſonum circumvolens, ſummo manè tranſcendit ſui clauſtri muros, atque vigilias noſtræ aulæ, quæ Germanicè veſtitos ſinè impedimento intromittebant, pallio involutus præterivit. Hic de libera, ſecuritate acquiſita, DEO ter optimo, gratias egit. Si enim à Vigiliis agnitus fuiſſet, non tantùm detentus, ſed priſtinæ captivitati Domini ſui traditus fuiſſet. Itaque concatenatus ante Legatos comparuit, quibus deplorandum ſtatum ſuum, cæterorumque Sclavorum, quos Moſci jam aliquot, ad mortem usque verberârint, enarravit; quocirca conſternati, egerunt de novo pro liberatione captivorum cum Adſtitibus Legati, ut omnino concederetur à Czaro omnibus, quicunque cuperent abſcedere, ut ſecurè comitatui Legatorum accederent. Noverant jam Legati perverſitatem Moſcorum: itaque qualis nam hæc eſſet pacifica conventio iracundo exprobrantes vultu, tandem hoc obtinuerunt à Duce; qui non tantùm annuit, ſed inſuper in gratiam Legatorum, Dominum illius concatenati, egregiè puniri juſſit. Copioſi advenêre cum liberis, & ſuppellectile ſua captivi, redire in Poloniam exoptantes, quos Legati unà ſimul aſſumpſerunt. Multi viciſſim noſtrorum aulicorum ſervi, à Moſcis perſuaſi, manſerunt, ſponteque in ſervos illis ſeſe, promiſſione magnæ ſolutionis deliniti, dederunt. Aſt graviter decepti: vix enim iter nobis aggreſſis, paucos poſt dies, dorſis eorum pecuniæ locò, verbera largè ſolvebant.

Vergente jam ad occaſum Legationem, non otioſus quivis ſuarum rerum ſatagebat, aut aliquid coëmendum ſollicitè quærebat.

Die decimâ nonâ Auguſti, advecti ſunt currus onerati vaſis pecuniâ repletis, quæ Imperialibus, & aureis, plurimùm verò Kôpicis conſtabant; pro qua revidenda, & computanda, tres penè dies inſumpti; & iterum pecuniâ numeratâ ſacci, ſaccis vero vaſa repleta, ſecurè conſtituta ſunt. Huic numerationi præerat Dominus Gumowski, Vir ſcientiis præ aliis excultus: Domino verò Zbroſzek commiſſio data eſt, ſaccos illos ad vaſa componendi & obſerandi. Deerat ad hoc opus Vietor, adeoque neceſſitate urgente

gente acceptus est Carpentarius, subditus nostri Principis, (qui pro reparandis curribus nobiscum assumptus erat) ut vasa hæc vieret. Hic victus cupidine circa hos saccos refertos (quilibet eorum mille florenos Kopicarum continebat, florenus autem sex grossos Boëmicos æquivalet) animum quoquoversum voluebat, quo modo unum juris sui faceret. Evenit, ut Dominus Zbroszek occupatus transpositione saccorum, se se averterit. Hâc occasione unum saccum Carpentarius in caligas recondidit, illudque vas alacriter, tam egregiâ recreatus prædâ, vievit. Ventum erat ad prandium, & ille à labore vacans, usus temporis favore, saccum illum abscondit. Peracto prandio reassumptum est negotium, & ecce Dominus Inspector Zbroszek recolligens mente matutinum laborem, advertit se in errorem devenisse, & commiscuisse saccum Imperialium, cum saccis Kopicarum: quæ tamen jussus fuerat separare, Coactus ergo aliquot iterum vasa solvere, perlustrando saccos, unum abesse cognovit: qui terrefactus & stupore percussus, quisnam tam versipellis præsente se furtum tentâsset, cùm suspectum haberet unum Carpentarium, hunc perquirere, pulsare, sibi verò crines evellere ac vociferari cœpit. Carpentarius simplicissimos formando gestus, se nil habere pejeravit: Quid factu opus? Adivit lamentans Dominus Principem, & mille florenorum jacturam, conquestus est, sed quid? responsum erat tritum in aulis. *Videris tu:* Nihilominus Princeps compatiens misero, consuluit, ut nullo rem clamore aut rumore prosequeretur, sed ac si resartum esset, paulisper dissimularet, furi impossibile fore, hos mille florenos secretò habere. Obmutuerunt ergo omnes, neque mentione rei ullâ factâ, eventum bonum præstolabantur, qui etiam, quod suo loco narrabitur successit. Hanc summam in tres Legati ad vehendum faciliùs, diviserunt portiones; duas Princeps accepit, pro Regno Poloniæ, tertiam Palatinus Polocensis, pro Magno Ducatu Lythuaniæ. Jam nil aliud supererat, quàm ut dona à Czaro, in remunerationem eorum munerum, quæ, ut dictum est, ipsi Ministri Legatorum sub audientia prima Czaro etiam obtulerant, subsequerentur. Factum demum, ut Adstites cum

cum uno Kniaz stipati pluribus militibus, in perticis supra humeros dona illa à Czaro promissa, nempe pelles sobolinas superbè portantibus, advenerint. Hic Kniaz Legatis salutem à Czaro deferens, hisce muneribus Legatos, cæterosque ministros donari significavit; statimque indice prælecto hirsuta pellium præsentatio, proportionatè, quantùm æquivalere judicabatur, Legatorum donis, inchoata est. Quia verò ministri suis minimè æquipollere donis animadverterant; sobolina non tantùm rejecerunt munera, sed etiam sua ab Adstitibus sibi reddi petentes, argentea cimelia, risu utrinque personante, receperunt. Reliquas etiam pelles, quibus minoris conditionis servi ditandi erant, Legatus Princeps occupavit. Hinc muneribus Czari, quæ omnibus etiam minimis munificè distribuere suevit, nos privati sumus.

His diebus advenerunt Poduodæ facilè quingenti cum carris ad Legatorum res commodiùs, ut currus magni allevarentur in itinere vehendas. Seriò hic omnia parabantur pro itinere; tantummodo decretum Ducis expectabatur.

Non sunt passi nos in hoc statu multis diebus; siquidem 23. Aug. Adstites venerunt Legatis nuntiantes crastinum diem profectioni destinatum; ad quod attoniti moram petiverunt Legati, esse festum Sancti Bartholomæi Apostoli Domini, solemnitatis magnæ: Se velle aliquot adhuc diebus, propriis vivere sumptibus: Sed in hoc amplo barbariei mari, arenam numerârunt, voluntas denique Ducis exequenda erat.

Die 24. Augusti, constituerant Legati, tardiùs mandatum hoc exequi, adeoque accingere manus operi cunctabantur, ut hac ratione unam adhuc pernoctationem extorquerent. Ast vexavit incassum futile pondus, palmosum Moscovitici fruticeti cor, cùm depressa quantumvis Palma, eò pertinaciùs assurrexerit, decretumque semel suum exequi compulerit. Quam fervidi sint Executores inviolabilis mandati Ducis sui, & quàm violenter Legati hoc adhuc die discedere coacti, infra, cum reditu in Poloniam recensebitur.

CAP.

Caput XIX.

Mores Moscorum, & Terræ Constitutio.

MOres gentis hujus quantum morationis tempore deprehendi, adeò instabilitati sacrificant, ut occultâ quâdam qualitate cum Luna mutari, ejusque reverâ ectypon nuncupari mereantur. Devotionem eorum quod attinet, non multùm ingrediuntur templa, sed ante fores stando, plurimas formant cruces, sicque obligationi satisfaciunt: plurimum tamen, sono campanarum incredibili, solennitates suas celebrant, quas & aliàs quoque indies, studio devotionis compulsant. Si quem visitant etiam negotiorum causâ ingredientes hypocaustum, non priùs respiciunt hominem cujuscunq; conditionis ille sit, sed statim imaginem Beatiss. Virginis Jesulum gestantis (cùm minimus quivis imaginem talem ex argilla aut alia materia, in conclavi è regione portæ locet) inclinato capite salutant, & tres formant cruces; quod ipse à nostris Adstitibus observatum spectavi. Tum primò negotia sua, proponunt. Amicitiam mirabili commonstrant ritu, siquidem non tantùm intra, sed etiam extra parietes, imò publicè in plateis indiscriminatim viri, pueri, mulieres, & virgines sibi noti, obviantes, se se mutuò excipiunt osculo, sicq; consanguinitatem, & amicitiam patefaciunt. Si verò ad invicem conveniant (quod raro fit) statim Scyphum cremato plenum ex speciali ligno patrio nomine Kapowe drewo certæ magnitudinis elaboratum, (cujus sortis binos quoque unâ mecum in Patriam attuli) offerunt; hunc singuli evacuare, cum semper sanitate Czari insignitus sit, tenentur; inde quoque nomen Winiza Osudarzka / quasi vinum, vel haustus Czari, acquisivit. Absoluto hoc, si ad prandium hospes adest, propinatur cerevisia, dein mulsum, ultimò vinum multiplicis sortis. Hunc itaque morem, dum nos sæpiùs prandiis exciperent, observabant. Uxores suas, quamdiu epulæ durant, nusqùam admittunt, nisi aut hospitibus magnæ æstimationis, aut amicis perblandæ charitatis id petentibus, tunc enim Uxor, quàm



ad pag. 97.



quàm splendidissimè induta sese præsentat, moxque prope fornacem manibus post dorsum sepositis se collocat; hanc hospites benevenire jubentes, accedunt, singillatimque manus etiam, sicut illa, post dorsum tenendo, porrecta sibi invicem ore sese mutuo deosculantur, atque ita favoris, amicitiæque argumentum denuntiant. Illa demum osculo suscepto, scyphum cremati uni alicui propinans, abit; subinde & à marito licentia datur, sua cum uxore longiori intervallo, etiam absente se, discurrendi, & ad placitum confabulandi.


Incessus eorum uniformis. Mares in togis longis ex materia aqueo cinerei coloris, manicis trium penè ulnarum, quas plurimi, pro ditiori statu, in brachiis complicant, Mitris altis; capillis ad morem Judæorum rasis, barbâ, quæ communiter ruffa, nunquam rasâ, laxato thorace (qua de causâ ventre sunt præpingues) incedunt. Ocreas ex Turcica pelle flava, cærulea, vel etiam viridi, viliores ex nigra, pedibus angustè, affabrè tamen adaptatas, portant. Fœminæ verò mediocris conditionis, veste bombicinâ, plerumque flavâ indutæ, manicis longis aut terram verrunt, aut complicatis brachia contegunt; neque facilè ulla his carebit, quia præcipuo apparamento destituta putaretur. Pallia quibus se diebus festivis adornant, ligulis undique circumsuta ad modum nostrarum in Schabes Judæarum, manicis itidem dependulis, gerunt; Caput tegunt mitris in modum pilei supernè rotundis, limbo in quatuor cornua obliquato, quas decentiæ causâ aliâ adhuc telâ persicâ ad faciem unâ velandam contegunt. Corporis tamen reliquo indumento semper dissoluto & discincto, ut propterea monstrosæ sint crassitiei; faciemque fuco tam affabrè illinunt,' ut farinâ aut pulte circumspersas primo intuitu diceres; nihilominus nè albedo in pallorem degeneret, eam rubore delicatissimè attemperant. Quæ altioris sunt status, Uxores nempè Principum Kniasorum, & Bojarorum, communiter curriculo exiguo ad modum parvæ Rhedæ, unico equo helcio ornato, vehuntur, aurigante aliquo puero, vel Sclavo miserè pellibus hirsuto nudipede. In curru serva, aut Sclava, scabelli munus, peragit

agit, cui præpinguis Domina pro lubitu & commoditate pedes suos, supra caput, aut humeros superponit. Spectaculum perjucundum fuit videre, quod ad minutissimum quemlibet currus motum, fœmineæ pondus pinguedinis assiduè agitaretur.

Juvenes utriusque sexûs proprium observant vestitum. Adolescentes in togis curtis coloris cinereo-aquei genua non excedentibus circumeunt, qui ut subtiles, & celeres sint, arctè sese constringunt; ad femur cultrum longum in vagina (frameas enim, quas Czéczuga vocant, portare non nisi militi concessum est) alligant, quo nihilominus sæpè in rixis sibi ventres discindunt. Collum quoque monili undequaque unionibus circumsepto, & ad tres digitos lato, condecorant, in manu bacillum, illis Tarvolka/ gestantes.

Puellæ manicas indusii, plusquàm maritatæ complicantes, longas ex cœrulea tela togas, manicis vestium, pro more, per terram serpentibus circumferunt. Capillis ad modum nostratium hæbrearum bifariam discriminatis, latis ligulis obvolutis, atque in fine duobus lemniscis dependulis superbiunt. Fronti (quæ supra modum, ut & facies tota, fucata) cingulum stellulis tremulis, unionibusque elaboratum alligant. Harum labor & occupatio, plerumque est lotura, quam baculi longi extremitatibus æquali utrinque pondere alligatam, humeroque in æquilibrio impositam, manibus haud quaquam applicatis portant, & ita armatæ ad pontem fluvio supernatantem procedunt Moscuæ, ubi quoque juvenes turmatim convenire solent, & nugas varias, petulantias, balnea, sui invicem conspersiones, & quis singula enarrabit? exercent. Lusus eorum non adeò honesti. Plebei plurimum in plateis conveniunt, ubi ferreum circulum vix peripheriam floreni nostri adæquantem, in terram tribus circiter à se passibus projiciunt, unusque eorum se incurvat, super cujus dorsum alter à longè currens saltat, sedensque desuper, & ferrum cuspidatum,

sic



ad pag. 99.





hîc appictum, per cuspidem tenens, in circulum projicit, alio id ei semper iterum porrigente. Quot vicibus tangit projiciendo centrum circuli, tot vicibus errare ei licet: si verò erret vice unicâ ultra quàm tetigit, tunc lusum perdit: alterúmque dorso suo insidentem, tamdiu vicissim sustinere debet, quàmdiu & ipse hoc pacto erret: sicque procedentes quandoque horas aliquot impendunt. In hoc lusu aliqui eorum quotidiano exercitio tam dextri evadunt, ut vigesies & ultra, ad stuporem adstantium, nauseam vero miserculi sustentantis, centrum circuli tetigerint.

Primores foliis chartæ lusoriæ Gallicis ludunt; mercatores Sohach. Puellæ & juvenculæ mulieres, ubi commodum sivè in platea, sive area habent spacium, ponunt truncum egregiæ magnitudinis, supra quem in æquilibrio locant asserem, in cujus extremitatibus stantes altera alteram agitat, atque alternatim in altum elevat, quandoque (dum exercitatæ conveniunt) tam audacter, ut una alteram ad magnam distantiam in aëra supra asserem ejiciat. Hac agitatione horas etiam insumunt.

Discursus eorum non est de exterarum nationum statu, politia, aut alia quaque honesta re, vel jucunda, cùm laudabilium scientiarum sint prorsus ignari. Historiæ & memorabilium à prædecessoribus gestorum imperiti, obvia loquuntur, maximè verò quæ lasciviam, & impudentiam sonant. Saltus per impudicas corporis gesticulationes & motus peragunt; hinc nec mirum, varia obscœna, & scelerata prodire.

In rixarum occâsionibus pessima usurpant scommata, uti Blendin Syn: Stulti filius. Sukin Syn: Canissæ filius: Sobaka / canissa, binaque præterea ex inhonestissimis proverbia, quibus parentes proles suas, & hæ vicissim parentes afficiunt, ad quas abominabiles voces, ingens nobis scandalum, quandoque ad ipsam indignationem, causavêre.

Puerorum etiam recreatio est cum canibus, quos, alias inter artes, etiam vehere docent, uti mihi obambulanti non semel videre contigit, canem mediocris magnitudinis, junctum curriculo parvo, ac apparatu ad instar equi egregio, absque tamen fræno vestitum, curriculo illo tres insidentes pueros vehere magno sat conatu, nam tanto onere pressus, linguam ore protrudere ac sæpè sæpiùs terram capite offendere videbatur: nihilominus à pueris flagello, clamoribus nimiis, terminum assequi coactus erat. Vicibus quoque pluribus observavi hujus sortis canes aquas, pueris impellentibus, domum devehere, quod in Tartaria nimium invaluisse affirmabant Mosci.


Ridiculum & hoc: quod si obvius quispiam fiat Poppo (munus Parochorum hi obeunt) qui per altam duarum pene spithamarum mitram dignoscitur; ab eoque, etsi Poppus Uxorem præsentem habeat, roget benedictionem, & peccatorum absolutionem, statim uterque, abscedente Poppi Uxore ad partem, nudato capite, ac inclinatione corporis se se salutent; tunc propius accedens Poppus, pœnitentem ore afflat, ac super illo aliquid murmurans, magnâ eum cruce signat, quo peracto, inclinantes versus se æqualiter capita, atque iteratò sese cruce signantes, mitris repositis discedunt. Jam autem quandoque contigit, ut uterque bene potus, vix firmiter stare potis fuerit; ubi ad illam inclinationem ventum erat, ambo tam mirabili, ridiculâ ac extemporaneâ titubatione, eam peregerant, ut hircos duos sese verticibus impetere (barbigeri enim quoque sunt) diceres. Cùm verò Poppus suâ cum Uxore procedit, totam tectam manu ducit, nam nullam aliam ducere amplius sub perditione Poppiatûs institutum cùm sit, ideo ad nutum Uxoris, tanquam primi mobilis, omnis Poppi Genius se accommodat.

Formationem Crucis adverti contrariam nostræ, siquidem à fronte deorsum, postmodum à brachio dextro ad sinistrum, manum ducunt; quid causæ esset hujus à nostra diversitatis, aliam mihi imaginari haud potui, quam quòd illi in plerisque ceremoniis ab Ecclesia Catholica datâ operâ dissidentes, ut signo digno-

sceren-

scerentur manifesto, hanc crucis formam ad contestandam religionis suæ ab aliis, maximè vero à Catholica, quàm innato, & plusquàm Vatiniano prosequuntur odio, differentiam constituerint. Mihi verò semper hæc crucis formatio in animo hærebat, donec tandem occasione datâ Poppum fores aulæ nostræ transeuntem conspiciens, accessi, crucisque signum ab eo petivi, quam cùm more suo mihi impertivisset, eum cur non talem, qualem ego (quam statim feci) formet? interrogavi. Hic moto paulisper capite respondit nihil; iterum ego plumbaginem ei, ut crucem in charta formaret? dedi; ille crucem non á dextris ad sinistram, sed à sinistris ad dextram duxit; cui ego, cur crucem in charta aliter, nempè à sinistris ad dextram, quàm in se, nempe à dextris ad sinistram, formaret; reposui, qui cùm adhoc quidquam respondere non valeret, moto capite admirabundus, & perplexus abitum paravit. Verùm ego per manicam, ut explicationem expectaret, detinui, & in medio harum duarum contrariarum crucum, tertiam formans majorem, taliter ei rem exposui.

Crux formata à sinistris. *Crux Christi.* *Crux formata à dextris*



Ecce in hac media Cruce nonne Christus Dominus Redemtor noster pependit? In Cruce à dextris, cur Latro adductus ad pœnitentiam, non item ille à sinistris? Nempe quia Crux illa conformis Cruci Christi, à sinistris versus dextram ducta, ducebat ad Christum Crucifixum, & ideo Diabolus hanc Crucem aggredi ad seducendum non potuit, poterat autem accedere alteram, quia illa, si ducatur conformiter Cruci Christi à sinistris ad dextram, tunc abit, & abducit à Christo, si verò ducatur versus Christum

 Do-

Dominum, à dextris ad ſiniſtram, tunc eſt difformis, & Contraria Cruci Chriſti, quæ (etiam te formante) non à dextris ad ſiniſtram, ſed à ſiniſtra ad dextram formatur. Cum ergo Vos tali Cruce, Cruci Chriſti Contrariâ utimini, nullatenus ejus Virtute Dæmonem abigitis, verum in malitia cum Latrone illo malo jam ſepulti, eidem ad vos in iniquitate firmandos anſam porrigitis. Ad diſcurſum hunc attonitus Poppus, meque oculo conſtanti intuens, cùm argumentum hoc nequaquam retorquere potuiſſet, Ruthene reſpondit: Vridnia to Rzcʒ: id eſt: abſurdus iſte ſermo; & ita abivit: quem per plateam integram caput movere, ſecumque diſcurrere obſervavi. Quid factum! hæc jucunda utrinque & pia confabulatio, quis diceret? miras egit in corde Poppi radices, adeò, ut nullo modo extricare ſe, licèt aliarum complurium operâ uſus, potuerit, quin imò inani ſuccumbentes labori, rem ad ipſum Patriarcham ſuum detulêre, qui imminens alicujus rebellionis, ſi res plebi innoteſceret, periculum augurans, néve de Authoritate ſua periclitaretur, Poppum illum bene aſſervari, incarcerarique mandavit, Inſuper de re Czarum commonefaciens, monuit, urſitque, ut Legatos ſeriò de hac re moneret, alioquin ſi plebs inſurgeret; illos ipſos cauſas ſui proprii exitii fore. Venientibus igitur ad Seſſionem Legatis, rigoroſa habita de re hac fuit conferentia; quibus ſe de caſu propoſito, nullam prorſus habere notitiam aſſerentibus dictum fuit: fuiſſe casûs hujus Germanum quendam, Authorem, ſimulque demandatum, ne ulterior fieret hujus mentio. Conſternati illi domum regreſſi, immediatè convocatis omnibus, etiam alterius Legati Aulæ Germanis (mei tamen nec meminerant, minimè namque ſibi perſuadere poterant, me tam multùm Ruthenè diſcurrere poſſe) rem propoſuêre, examinareque cœperunt; verùm nemine horum conſcio, tandem ſors me manifeſtavit, qui nolens volens, coram plurimis conaulicis diſcurſum hunc plenariè exponere debui; quod demirati tum Princeps, tum Palatinus Legati, ne amplius, de diſcurſu hoc mentionem facerem, inhibuêre. Poppus autem ille, nec citiùs libertati

reſtitutus, ſed tam diu in carcere detentus, quàm diu Legatio inibi morabatur,

Balnea vidi Moſcuæ bina, unum præcipuum ad fluvium Moſcuam, alterum ad fluvium Neglinam in Bialgorod: & ſicut nullibi honeſtè, ita nec hîc, imò ſceleſtiùs ſe gerunt. Hoc aliqui noſtrum curioſitatis gratiâ luſtrare propoſuimus, atque more noſtro Patrio velati, ſimilem prout interris noſtris, balneandi rationem autumantes, adivimus; aſt ſub ingreſſum ſtatim notavimus diverſitatem, dum portam apertam, feneſtris non occluſis vidimus, tametſi balneum nihilominùs valdè calidum erat. Ubi vero nos Moſci velatos, ipſi enim abſque omni verecundia nudiſſimi erant, conſpexêre, ingenti riſu & cachinnis exceperunt. Nulli hîc Miniſtri, nullus Balneator, aut tonſor, ſed qui aquam habere voluit, ipſe pro ea ad fluvium deſcendere cogebatur. Itaque inibi aliquandiu commorantes ſicci, ut venimus, abivimus, poſtquam eorum in balneando mores vidimus, qui loco fricationis, virgultis ipſimet ſeſe flagellare, clamare, aquâ frigidâ perfundere, inſuper geſticulationes corporis, coram prolibus ſcandaloſas moliri cœperant, atque hæc averſati, multo cum riſu exivimus. Eundem balneandi modum habere fæminas, & nudas quoque promiſcuè circumcurſitare ſpectavimus.

Venatio ſola cum accipitribus, niſis, & falconibus laudanda apud eos videtur, quâ profectò excellunt; ſæpè enim magno cum guſtu ſpectaveram, quomodo ſylveſtres anates, cane inſtructo è piſcina expulſas, à ſpatiante in aëre accipitre in terram deciduas, manibus levaverint. Lepores quoque & alias feras, quibus Moſcovia abundat, harum operâ avium jucundè venantur.

Ferarum diverſitatem hîc multam & magnam dari, non tantum Hiſtoria probat, ſed ipſa Regionis vaſtitas evincit; nam & ego varia, & terris noſtris profectò animalia ignota meis conſpexi oculis; quæ hic paucis attingam.

Primarium tum æſtimationis, tam pretii locum obtinent ſobolinæ pelles, quarum Nobilitas toti mundo patet; hæc animalcula ducentis poſt Moſcuam circiter milliaribus in denſiſſimis ſylvis

vis capiuntur; & quò frigidior hyems, eò nigrioribus & densioribus longioribusq;, adeoq; maximi pretii pilis nitent. Harum aliquarum pretium in ipsa Moscua ad centum Rublos(aureus inibi vocatur) se extendit, minimarum pretium est unus aureus. Homines, qui pro capiendis adhibentur sunt Captivi, Sclavi, & Tartari, frigori assuetissimi, & miseri, in quibus sanè nobis impossibile esset perdurare. Hi animalcula hæc sagittis dexterrimè prosternunt, in æstate verò viva Czaro transmittunt, qui munerum locò in delegationibus suis, pro speciali dono, exteris Principibus offerre assuevit. De hominibus his narrant Mosci, quòd in hieme acclinati ad arborem, ità sopiantur à frigore, ut mortuorum instar permaneant, quando tamen ex eorum narium spiraculo, ejectus mucus stiriam efformet congelatam tam longam, ut usq; ad terram pertingat: æstate verò redeunte, seu ipso statim vere, resurgant quasi à mortuis, & ad sua munia revertantur.

Copiosas quoq; advehunt pelles agninas, ex Astrachan (est Provincia Persis confinis) illasq;, vel nigerrimas, vel fuscas permixta albedine & nigredine. Hæ pelles totæ crispæ, ibidem quoq; magno in pretio habentur. Cæteræ, uti Caninæ cum longis pilis, cinerei coloris; vulpinæ, Ursinæ, leporinæ, universim albæ per totam Moscoviam copiosè adinueniuntur. Sunt & inibi glires aquei, majores nostris, quorum pelles odore peramœno adinstar ambræ, hominem eas corpori applicantem, & calefacientem, mirâ circumfundunt odoris amœnitate. Cauda eorundem pollicis crassitiem adæquat, & quandoq; superat dura & lepidè figurata. Copiosissimas tamen inter omnes habent Hermenilium pelles, item Gronostaje animalcula parva, quorum pelliculæ tenues, albissimæ. Catti Sylvestres, & per plura alia animalia copiosa, specie diversa & ignota ibidem reperiuntur. Hac quoq; ratione ob copiam pellium, ad tantam pelliones venêre perfectionem, ut easdem pelles nitidissimè elaborare, in partes discindere, & qvasvis minutissimas particulas artificiosè adaptare sciant, quod experientiâ edoctus, oculatum me sisto testem dum ex sobolinarum caudarum minimis finibus, elegantissimas manicas magnatibus, sex, aut etiam octo aureorum pretio consarcinant: taceo alias pelles, quæ illis ingens lucrum, maximè ab exteris nationibus conferunt.

Contigit binis vicibus, ut haberem mihi obvium in platea Czarum; cùm recreationis causâ extra Urbem pergeret; itaque substiti videndi gratiâ illius processum, qui hic erat; Primò præcedebant duo cursores, obvios quosq; homines ex via, & in domos, ne quis Czaro obviaret depellentes; si verò nullus abscondendi locus, uti extra Urbem, fuit, tunc homo ille, quiscunque, in faciem prostratus tam diu humi, donec Czar pertransiret, jacere debuit; accedentes ergo me hi Cursores interrogarunt **Faky ty Czlowiek: Posolsky?** Simne unus ex ministris Legatorum? reposui: **Tak gestit**; Sic est; ad quod moventes Capita reposuerunt; **Dobroster/ Zustay** id est: bene, bene, maneas: & ulterius cursum prosequebantur. Paulò pòst secutus est Czari processus, & primò quidem ducti fuêre Parippi octodecim pretiosissimè ephippiati; hos secuti sunt plurimi ministrorum, omnes detecto capite: tandem ipse Czar pulcherrimo insidens equo, inauratum sceptrum in manu, ac super mitram sobolinâ pelle suffultam, auream corollam omnibus partibus tremulam, adamantibusq; interstinctam gerens, processit: cui cum debitam reverentiam fecissem, moto paulisper capite, & sceptro, subridens signum gratiæ reposuit. Postmodum impedimenta culinæ, & alia necessaria longo ordine sequebantur; atque hic fuit Czari privatus processus, qui Majestatem suam non, in comitatu Hatschiriorum, ut alii Monarchæ, sed ùt plurimùm in apparatibus & ornamentis vestium, equorumq; commonstrat.

Mirabile, quod nil virtuosi, aut morigeri, quodq; veræ pietatis alicujus speciem præferret, per spatium quindecim Hebdomadarum animadvertere in Moscis potuerim. Itaq; dicere cogor, esse plerumq; subdolos, luxuriosos, fraudulentos, deceptores, infideles, contentiosos, latrones & homicidas: ita ut si hominem spe lucri, aut pecuniæ acquirendæ occidant, & unicam candelam pro anima ejus in templo accensam offerant,

O jam

jam absoluti & pœnæ immunes habeantur .Immunitas talis barbarie munita, non nisi à Tartaria inculta censenda est provenire confines siquidem etiam Tartaris,duo quoq; illis ereptaCassan, & Astrachan regna possident.

Caput XX.

Reditus ex Moscovia usq; Smolensko.

CUm festum Sancti Bartholomæi die 24. Aug. annuâ devotione celebrandum illuxisset, debitam quoq; nos erga Sanctum Apostolum solennitatem præmittere cupientes, ut ita discessus prolongaretur, cum sub tentorio in medio areæ expanso, solenni cum musica Missæ sacrificio celebravimus; quo finito, concio quoq; Polonica habita est. Lentè parabatur discessus; sperabamus enim imparatis nobis subsequentem diem pro itinere esse concedendam: quod sperare etiam fecit tempus pluvio Cœlo turbidum, itineriq; ineptum. Prandium quoq; à Legatis splendidum institutum est, ob cujus respectum nulla timebatur turbatio. Verùm insperatò Adstites, ut præmitterentur curriculi nostri, & ordo ad proficiscendum fieret, se cum suo comitatu paratos, & intra horam adventuros nuntiarunt. Ad quod attoniti Legati, se neq; esse paratos, neq; præconcepisse tantum in executione rigorem reponebant, adeoq; hanc saltem pernoctationem sibi faveri petebant. Sed exacerbati Adstites, inculcabant se gravissimè læsuros Czarum, si non quam primùm discesserint. Quantocyus igitur res componere jussi sumus, quod ut citiùs perageretur, aliquot Strzeletz id est Sclopetarii ad jungendos equos, res deportandas, & in currus projiciendas submissi sunt. Facilis conjectura est, quàm ordinata fuerit, hæc tam properata Congeries, ut certè impossibile creditu alicui fuisset, intra tam breve tempusculum, tantum effici posse. Duas tamen insumpsimus horas, tandemq; horâ quintâ vespertinâ, cadente insuper pluviâ, ordine facto, præmissis Podvodarum curriculis, curribus minoribus, curribusq; oneratiis, cum sex equis, Legati cum Adstite delegato, in Rheda Czari, (usq; ad primam pernoctationem) comitante parva Moscorum manu, valedicentes omnibus, præter spem Urbe egressi sumus. Non

Non illa viâ, qua Urbem ingressi sumus, nos eduxerant, sed ex Kitaigorod per Bialgorod & per Zemlenigorod penes ejusdem mœnia sinistrorsum perreximus, ubi à magna incolarum turba, apprecante nobis felix iter, Rutheno idiomate (Prosti Bug) secundet Deus, spectabamur. Via ob pluviam lutulenta & trabibus strata, & pontium per lacunas frequentia properè pergere prohibuerat. Unde Haidones & Milites occasionem nacti sunt, suos adhuc notos invisendi. Hi imminentem timentes noctem, cremato tamen adhuc benè poti, brevi currus assecuti sunt. Post medium circiter milliare adhuc intra Urbem planities viam fecit expeditiorem, quâ superatâ, venimus ad montem molas ventosas plurimas exhibentem. Ventum tandem est ad præurbium longum Drgomilovska Sloboda nuncupatum, ibiq; nobis pernoctatio assignata fuit. Eo usque duas ultra horas perreximus, & præurbiorum finis necdum erat. Unde verum apparet circumferentiam Urbis Moscuæ ad qvinq; milliaria extendi; quod etiam quidam in kukui Urbe à Germanis inhabitata. Matheseos egregiè peritus Germanus præsente me asseveranter confirmabat, prout etiam ipsius Urbis termini ex aulæ nostræ turri, cujus ad centum quinquaginta facile gradus altitudo erat, nullatenus circumquaq; conspici potuerant.

Mirum nobis universim accidit, Moscos tam inhumaniter in abitu cum Legatis, quorum tamen egregia erat authoritas, egisse, cùm potiùs præteritos Urbanitatis defectus, colore hùmanitatis aliquo sub finem obumbrare debuissent. Sed quid tandem, si principio & medio etiam finis consentiat, per hoc immorigeri animi specimen, quo Legatos Urbe quodammodo violente ejicerunt. Prima itaq; pernoctatio 24, Aug. miseriam & molestiam inchoavit.

Sequenti illucescente aurorâ, primô componendæ erant cumulatim antè in currus res injectæ, quibus cum Haidones horas aliquot insumpsissent, iter acceleravimus. Ast vix tria confecimus milliaria, & jam illam lutosam & detestabilem pontium plenam viam ingredi coacti sumus, quos summo cum periculo

ſuperavimus. Conſpiciebantur propè Moſcuam villæ, atq; arces ligneæ paucis, cum agris; plures terræ mollities non patitur; unde arbuſta, ſylvæq; maximæ progenerantur. In Itineris principio parvos, ſed ſibi propinquos obtinuimus pontes octo; tum in Civitate Zdimczowa nomine, quæ tamen vix pagum adæquat, pranſi ſumus; ubi forum gramine veſtitum, caſæ, æqualis formæ, & magnitudinis, quadratum efformant. Sumpto brevi prandio, perreximus tribus milliaribus, per viginti quinque pontes majores, & attigimus tempeſtivè.

Viazoma Monaſterium Schismaticum, ubi quidam Polonus à Moſcis quondam abductus, vigintique plus minus annis in Moſcovia ſervire coactus, feliciter aulam noſtram inſequens nos deprehendit, qui à Principe occultatus unà nobiſcum, in Poloniam advenit. Oſtenderunt hîc nobis curioſitatis gratiâ Camelum, grande animal, monſtroſæ planè formæ. Sequenti manè die 26. Aug. ſuperavimus quatuor milliaria, & quadraginta quinque pontes, quorum aliqui quinque, etiam ſex ſtadiorum erant, ac in Kubinsko, quod oppidum eſſe volunt, prandium abſolvimus. Redibamus quidem jam tunc eâdem, quâ veneramus viâ, verùm quia properavimus in Patriam, alia nos attingere hoſpitia contigit. Hinc peracto raptim prandio, denſiſſimas transgreſſi ſylvas, per triginta pontes, quinque milliaria confecimus, ubi ſubdialem in prato habere pernoctationem debuimus. Hac nocte transacta rore bene madidi ulteriori nos viæ per ſylvas commiſimus, atque quindecim pontibus, & tribus milliaribus ſuperatis, Moſaiſco nobis Civitas & prandium, & quietem præbuit 27. Aug. Timuiſſe ſæpius Legatos memini, ne, ſi adhuc in Urbe Senatores Moſci in aliquo vacillarent, inviti Moſcuam revocarentur, adeoque feſtinandum ſtatuerunt.

Subſequenti aurorâ hîc adhuc, quia dies Dominicus incidit, Miſsâ auditâ iterum viam aggreſſi, tribus per ſylvas milliaribus abſolutis, per quinquaginta ſeptem pontes, viâ peſſimâ luto, aquis, & paludibus interſtinctâ, venimus ad Gelnam Villam, in Monte ſitam. Hinc confectis quatuor milliaribus, per quadraginta pontes,

tes, iterum in ſpatioſo prato ſub cœlo, & inter ſylvas noctem transegimus, Oriente die per ardua ſylvarum triginta ſex pontibus, & quinque milliaribus abſolutis, in prato pranſi ſumus. Hac in viâ aſſecutus nos fuit nuntius Moſcuâ Urbe miſſus, qui in proximo oppido inſequentes duos Bojar, è Legatis expectandos eſſe nuntiavit. Anxii quid ſibi hæc inſecutio vellet, hæſimus. Superatis demum quatuor milliaribus & octodecim pontibus, Civitatem Czarske Zamoiſce; ubi expectandus erat illorum Bojar adventus, attigimus. Ad occaſum ſolis advenerunt, venerabilis Moſcus Knias, ſeu Princeps patrio nomine dictus, & unus Dziak, quaſi Secretarius, qui multo comitatu decorè veſtito, ſtipati Legatos acceſſerunt, & præmiſſo Czari magna cum veneratione, & reverentia titulo, ſe data operâ à Czaro miſſos ad Legatos de Victoria ante Czechrin de Turcis obtenta certiores reddendos, inſinuârunt; ſignificantes præterea captivum adductum fuiſſe Baſſam cum plurimis Turcis; ac tentoria ultra trecenta cum reliqua ſupellectile, & multâ pecuniâ, cæterisque campeſtribus prædis allata. Itaque ut Legati Czaro congratularentur, & ſibi rem gratam commonſtrarent, invitarunt, pro ſequenti die Ablegatos ad nos Moſcos ad Te DEUM laudamus, celebrandum. Erectum ergo eſt pro pompæ augmento tentorium in medio areæ, ſub quo Sacrum magnum cum tubis, & tympanis habitum; poſt hoc Te DEUM Laudamus, cum trina ſcloporum exploſione celebratum eſt.

Magnus hic Moſcorum concurſus, noſtrum celebrandi modum ſpectantium erat, qui noſtrum ſuo quoque excipiebant gaudio: nec minus hic ſolennitatis actus miſſis illis Bojaris placuit, invitatis etiam à Principe ad prandium, quod inter chordarum, tubarum, tympanorumque applauſum egregiè abſolverunt, videnteſque ſibi largiter propinari, à Legatis vinum Ungaricum, viciſſim ipſi ex popina, illis Kabak dicta, tum crematum, tum mulſum, in copia adferri juſſerunt. Delibatis itaque palato gratiſſimis, quales ab illis nunquam viſi, multò minus guſtati, cibis, quibus avidè ſe ſe infarcire ſpectavi, cerebroque calefacto nugas

 varias

varias, & nequitias Mosci prodere inceperunt; Unde sapienter Æſchines dicere solebat: speculum formæ esse æs, Vinum autem animi; & passim in proverbium abiit; In vino veritas; ad quod argutè ludens Owenus canit:

Si latet in vino verum, ut proverbia dicunt,
invenier verum Teuto (Mosca potius) vel inveniet.

Bonâ igitur hac occasione usi Legati, sibi multùm proficua ex illis expiscati sunt, ob quod multæ insumptæ sunt horæ Palatinus Polocensis alter Legatus suum eis etiam demonstrare cupiens affectum, invitavit omnes unà cum Principe ad suum hospitium; cui annuentes Mosci, per plateas, comitante musicâ, titubantes egregiè acclamante insuper populo eum adiverunt.

Princeps attamen properans in Patriam, veniâ acceptâ circa horam quartam ulteriori se commisit viæ, qua adhuc die confectis tribus milliaribus & sedecim pontibus, per sylvas incommodas inter easdem & pernoctavimus 30. Aug. Manè continuantes sylvarum asperitates per quinquaginta quinque pontes, emensis quatuor milliaribus, ac in Viasmo Urbe, in eo hospitio, ubi tam bestialiter infantem lactari commemoravi, prandio refecti, viæ ulteriori nos accinximus, quamvis ob curruum reparationem non parum detenti; tamen inibi pernoctare nolens Princeps, ob imminentem adhuc tempestatem uno milliari confecto in prato vasto noctem tempestate nihilominus crebriori fulgure, tonitruoque horridam, non sinè timore, corporisque afflictione transegimus 31. Aug. omnes madore pleni, à quo nec quidem ipse Princeps quanquam sub tentorio, fuit immunis, quare ob tantam itineris defatigationem afflicti tectum optabamus.

Neque tamen nostram adeò curabamus, quàm equorum defatigationem, eò quòd adventante Phosphoro per pontem, qui tunc obtingebat, ad sesqui milliare se extendentem, transeundum fuerit; unde tum currus, tum equi concussi, atque defatigati sunt, præterquam quod alios 14. per quatuor milliaria, pontes minores superaverimus, atque adeò cætera pars diei, quieti in Zemlowo, oppido novo, ubi & pransum, & pernoctatum, necessariò impen-

impensa est 1. Septemb. Inde viginti quinque pontes, per quatuor milliaria transgressi, Czobotowo pagum attigimus. Hîc nos prandentes assecutus est Palatinus alter Legatus cum sua aula, qui diutius se cum Moscis in Czarskie Zamoscie detinuit. Perreximus ergo 2. Septemb. unitis iterum viribus per solitudines, & deserta viarum horrida, & confectis tribus milliaribus transivimus Bolczin Monasterium. Inde via lutosa per quadraginta quinque pontes, causa erat pernoctationis in prato, sylvis undequaque circumdato. Hîc nactus occasionem Dominus Zbroszek, instituit examen de perditis in Moscua mille florenis, atque ne timorem inopinatè furi incuteret; jussit illum currum in quo Mechanicorum res vehebantur, ut fabri, braxatoris, sartoris, pistoris, carpentarii & aliorum, in medium nostri devehere, illumque per duos Haydones lustrari. Accepta ergo est primò ad examinandum cista carpentarii; quam reserari coram se jussit. Hîc carpentarius perterritus, mutato genarum rubore, & ad opus attonitus, timens ne furtum patefieret, clavim diu invenire noluit: ast perfractum iri cistam advertens, tandem potiùs clavi aperuit: quæ cum perlustrata fuisset, inter cæteras suspicioni etiam obnoxias res in Urbe coemptas, inventæ sunt multæ partes telarum in nodos intortarum, quarum gravitas suspecta erat. Solutis itaque his intricatissimè colligatis nodis, inventi sunt in illis aliquot supra viginti Imperiales; item aureorum, quos pro Kopicis in Urbe permutaverat, haud exiguus numerus; Kopicarum verò valde parùm supererat. Acceptis itaque his nodis exhilaratus Zbroszek Principem adivit, carpentariique naturâ aliàs simplicis furtum patefecit, non parva nostra cum admiratione tam dolosam hominis astutiam, externâ simplicitatis veste obumbrari potuisse. Hic ergo statim arreptus, catenisque magnis, quas pro curruum necessitate unà veximus, circa collum, manus, & pedes vinctus, ac ubi reliqua pecunia insumpta esset examinatus, tremens, aliqua rara se in Urbe coëmisse, partem aliquam braxatori, & aurigæ suis consodalibus dedisse, fassus est. Raptus itaque etiam braxator, captivatusq; est, auriga verò advertens, facinus in se devolui, inter syl-

ſylvas confugit, ſeſeque abſcondit; cujus tamen ciſta apertâ floreni aliquot reperti ſunt. Connumerata itaque pecunia, quæ ſupererat, ſummam ſexcentorum florenorum protulit: reſiduum ab illis jam conſumptum erat. Inſtitutum demum à Principe, quid cum fure agendum eſſet, cum primoribus ſuis conſilium fuit, & unanimiter ſtatutum eſt, eum in proximo oppido ſuſpendendum. Interea tamen ab Haydonibus fuſtibus cæſus eſt, qui ad centum primos ictus vociferabatur. Quia verò continuus ictuum ſubſequebatur tonus, non amplius ob demortuæ carnis inſenſibilitatem clamavit, ſed immotus nullo vitæ ſigno dato jacuit. Autumabam ego trecentis continuatis ictibus, animam pulſam fuiſſe; aſt ſubitò ſe erexit, ubi advertit ſe inverti ad ventrem etiam cædendum, preceſque cum ejulatione fudit. Braxator itidem, ſed paucioribus exceptus eſt plagis. Commune hoc Polonorum eſt præmium, quo facinora quæque plectunt.

Hâc tragœdiâ peractâ, properavimus per tria milliaria, & quadraginta quinque pontes ad Civitatem, cui nomen Dorohobusz, ubi etiam pranſi ſumus. Hîc ſupplicio affectus fuiſſet Carpentarius, ſed pro fortuna ejus, nullus carnifex reperiebatur, aliquot etiam ex aulicis pro eo, tanquam qui condignas jam facinori plagas recepiſſet, ſupplicârunt. Maxima autem gratiæ anſa fuit, quod ad axem, qui apud Rhedam fractus eſt, dum nullus alius eum reparare poſſet, reparandùm, ille catenis ſolvi debuerit, ſicque tot precibus libertati redditus eſt.

Abſumpto hîc prandio, compulſi ſumus per pontem pergere tunc necdum perfectum ſuper Boriſthene fluvio innatantem, quem currus tam graves magno cum periculo ita deprimebant, tranſeuntes, ut ad medium usque aquæ immergerentur. Ne verò currus aliquis inverteretur, eum Haidones pedites tenere debuerunt: ut ſic tamen omnes feliciter tranſiverimus, reliquo adhuc diei curſu, per tria milliaria tredecim pontibus ſuperatis, atque in Vognovszcinzna pernoctavimus 3. Septemb. Inde redeunte aurora iter noſtrum proſequentes, tria confecimus milliaria, ſuperatisque viginti quinque pontibus, occurrit nobis Wulffova Sloboda. Villa hæc

hæc nomen ſortita eſt à quodam Nobili Polono Wolff nuncupato, qui eam ad ſe ſuſtentandum ædificavit; bello autem Moſcovitico eo depulſo, Moſcis in poſſeſſionem abiit, quam Wulffowa Sloboda, quaſi Swoboda id eſt ad habitandum liber locus nuncupant. Hîc prandio ſumpto ulteriorem aggreſſis viam, ob meliorem terræ ſitum, numerus pontium minuebatur, & per tria milliaria non niſi octo pontes tranſivimus.

Viam pluvia moleſtam reddidit, monteſque & valles retardabant tranſitum, ità ut novemdecim tranſeundo pontes per quatuor milliaria in Volczinic pranderimus: quo abſoluto, comitante nos pluviâ, per frequentes aſcenſus & deſcenſus montium (unde currus bis inverſi) duobus milliaribus & octo pontibus abominabilem Moſcoviticam viam finivimus in Smolensko Civitate, & Clavi Moſcuæ, quæ & quietem dedit 5. Septembris. Pontium ergo ſumma, quos à principio itineris e Moſcua Urbe huc usque pertranſire contigit, quingenti triginta tres.

Caput XXI.

Reditus ex Smolensko per Lithuaniam.

IN Smolensko ab Adſtite detenti per prandium diei ſequentis fuimus, ob cauſam novi comitatûs procurandi usque ad confinia Lithuaniæ. Itaque Princeps Legatus valedicenti antiquo Adſtiti, frameam pulcherrimam (Ordinka Polonis dicitur) in remunerationem laboris nobiſcum perviam habiti donavit. Peracto prandio Lithuaniam verſus tetendimus, atque ad proficiſcendum celeriùs comitatus novus cum Adſtite ex Civitate Smolensko ordinatus, aliâ nos viâ duxit. Tranſivimus pontem ligneum ſuper fluvio Boriſthene benè firmatum, penes ipſa Urbis mœnia, per montem ſat altum. Hîc illud memorabile, quòd dum Sigismundus Rex Poloniæ Civitatem hanc oppugnâſſet, primarium mœniorum cornu pulvere ſuppoſito in auras disjecerit, atque ita Urbem in ſuam redegerit poteſtatem; Civitate iterum Polonis ereptâ,

ptâ, illa pars mœniorum à Moſcis, reædificari ſe non patiatur, ipſismet fatentibus Moſcis, quod uno anno ædificatum erat, ſequenti iterum corruiſſe, atque adeò id experti, vallem ſolummodo profundam efformârunt, quam vigiles numeroſi tuentur.

Præmoniti ſumus attendere diligenter rebus noſtris ob vaga paſſim ruſticorum latrocinia ab antiquis temporibus fieri hîc ſolita redeuntibus Legatis. Reſiduo Solis curſu tribus peractis milliaribus, Lubnia pagus pernoctationem favit 6. Septembris. Tribus Lubniâ ſuperatis milliaribus, Czernova pagus, prandio nos refecit; & tribus iterum milliaribus excepit quiete Civitas Krasna 7. Septembris. Sequens 8. Septembris Feſtum Beatiſſimæ Virginis Naſcentis, etiam Matri DEI ſolenni cum Sacro, precibusq; gratias actoriis, cum toto antemeridiano tempore conſecratus eſt, ubi etiam prandium ſumpſimus. Aſper jam erat September, & Borealibus ſubjectus auris, furnorum operâ attemperandus. Reliquo hujus diei tempore quatuor perfecimus milliaria ſat infortunatè, cùm currus rebus optimis oneratus, non ſinè damno inverſus ſit. Ab alio quoque curru equi ex ponte deciderunt, qui diu in aquam dependuli, quia firmis juncti erant funibus, ſe ſe multùm, & miſerabiliter agitantes, difficultate maxima ex hoc periculo, ſinè omni tamen nocumento, liberati fuêre; In Bojova pago pernoctationem nacti ſumus 8. Septembris. Hîc in limite Lithuaniæ valedicente nobis Adſtite, cum ſuo comitatu, ac Smolenskum verſus iter reſumente, Lithuaniam magno cum ſolatio, DEI optimi maximi gratiâ attigimus.

Inde digreſſi tribus milliaribus, Czehrin pagum attigimus, ubi ſumpto prandio, & iterum confectis 3. milliaribus Dombrovkam Civitatem primam Lithuaniæ advenimus, quæ, quia ad Excellentiſſimum Palatinum Polocenſem Collegam Principis Legati ſpectabat, etiam favore Excellentiſſimi Poſſeſſoris, non tam nobis, quàm defatigatis jumentis, refocillationem largita eſt 9. 10. & quia Dominicus dies intervenit, etiam Undecimâ Septembris.

Die Lunæ, quæ erat 12. poſt prandium valedicentes Domino Palatino, diſceſſimus, & venimus tribus milliaribus indè in Orſa Civitatem, quam ante depopulationem Moſcorum, pulchram & magnam fuiſſe rudera repræſentant. Hîc fluvium Boriſthenem (illis Nieper) tertiâ vice trajicere contigit. Inde properè diſcedentes quietem noctis in Baran pago duobus milliaribus abſolutis tranſegimus 12. Septembris.

Manè ſequenti Kochano pago, & tribus milliaribus emenſis pranſi ſumus in Tolaczc. Indè confectis tribus milliaribus, pernoctavimus 13. Septembris in Slovinie pago. Tandem advenimus in Civitatem Bobr, & tribus poſt milliaribus ingreſſi ſumus eandem, quam antea in Moſcuam proficiſcentes tenueramus viam pagos eoſdem, & Urbes per viginti quinque milliaria tranſeuntes, pervenimus 18. Septembris usque Minsk. Unde aliam iterum ſemitam aggreſſi ſumus ad dextram. Ubi ad Dolskovice pagum pervenimus. Quatuor inde milliaribus in Viaczion popina noctem 19. Septembris tranſegimus. Iterum Koidanoro Civitatem transgreſſi ad Rudicza pagum venimus, ubi popinis Judæi hoſpites præerant. Prandimus hic; quatuor inde milliaribus in pago Jaczna pernoctavimus 20. Septembris. Hinc uno, & medio milliari tranavimus per Niemem fluvium, & tribus poſt milliaribus advenimus Mir Civitatem Principis Radzivil, quæ à magna Hebræorum copia inhabitatur. Hîc abſoluto prandio miſſi ſunt à Principe aliquot Aulici in Civitates Volhiniæ, Luciolum, Leopolim, & Klevanum, erantque Reverendus Capellanus, Dominus Holub, Dominus Chriniczki, Dominus Savicz, Domiminus Menczinski, & Dominus Portanti, qui valedicentes omnibus nobis, iter ſuum cum famulis aggreſſi ſunt; nos verò Lublinum verſùs, & tranſeuntes Schuchovice, Seremavice, Polomka mala, pagos, poſt duo milliaria quievimus 21. Septembris: Inde per Stoloviczam Urbem ligneam, quales communiter per Lythuaniam, & Poloniam exſtruuntur, apud Judæum Staramos, Popinæ hoſpitem, quatuor confectis milliaribus prandium ſumpſimus; atque 22. Septembris in Polomko Civitate, duobus à popina milliaribus, noctem tranſegimus. Relucente Phosphoro, viæ quatuor

tuor milliariorum Slonim usque Civitatem commodam Illustrissimi Sappiæ Thesaurarii magni Ducatûs Lithuaniæ Fratris Excellentissimi Legati nos commisimus; à quo perhumaniter excepti noctem etiam transigere 23. Septembris debuimus. Hîc data est occasio maximè Haydonibus (quibus custodia rerum committebatur) sese inebriandi; unde aliis alia occasio, nempe furandi subsecuta est, atque de nocte ex curru, Sartori nempe cista, aliis facci cum rebus ablati sunt: qua de causa, ut Princeps aliqualiter saltèm privatis satisfaceret, tria post milliaria in Chmelnica, duos Haydones illius currûs Custodes, nomine Budzilo, & Olschainski, in arte potatoria excellentes, loco prandii, fustibus cædi jussit. Hinc perreximus per Zelcze, Prusziana, Ziebin, Holizarowstaw, & Brisez Liteuski, ubi pernoctatum 28. Septembris, & Festum Sancti Michaelis Archangeli celebratum est, qui quia Natalis Principis fuerat, fuerat quoque ab Aulicis, tum à R. R. P. P. Jesuitis Studiosâ cum Juventute, aggratulationibus exceptus. His finitis, ulterius profecti sumus per Dobrinka pagum usque, Piszczacz Civitatem quatuor confectis milliaribus, quæ quoque prandium nobis præbuit; Ad vesperum verò venimus in Lomas duobus milliaribus, quæ Civitas Lithuaniæ ultima est. Quia verò Poloniam attingere nimium ardebamus, & Civitas Rossossa jam intra Poloniam sita, medio tantum milliari distabat; ideo hanc hoc adhuc vespere, & Poloniam feliciter ingredi fuit constitutum.

CAP.

CAP. XXII.

Reditus per Poloniam in Boemiam.

Consecuti jam Poloniæ terminos, multò magis exarsimus videre quamprimum amicos, & domesticos. Quapropter stimulati ad iter accelerandum per pagos. Romaskow, Wronice, Brzesloviczkant, Rudno Civitatem, Parcov Civitatem ligneis cinctam mœnibus (in qua quoque confectis quinque milliaribus pransi sumus) venimus in Civitatem Ostrow 30. Septembris. Vesperi ad nos venit Principis Conjunx cum sua Aula gratulabunda, & amplectens magno cum gaudio Principem. Conaulici quoque simul amplexibus nos invicem excepimus, & ita unâ perreximus per Pelechovice pagum; Zaipsice, ubi trajectus per Vieprz fluvium est; medio hinc milliari iterum per fluvii Bistrzicza pontem periculosum (quales plures ibi inveniuntur, sibi & nobis ruinam minantes) inde tribus milliaribus in Zbiczim arce pransi sumus. Optimè meæ memoriæ hîc impressi; quod cùm incidisset dies Veneris, Polonique semper hoc die, cibis cum oleo lini mihi summè contrariis vescantur, per adventum Principissæ, quæ semper cibis cum butyro utebatur, ego ab illius refectione reliquiarum optimè præparatarum (quod pridem mihi non evenit) solus & unicus particeps fuerim. Post prandium ulterius progressi, per pagum Dluga, attigimus Jakubovice Arcem 1. Octobris ac tandem finem optatum molestissimæ 202. milliariorum viæ imposuimus, maxima etiam nos excipientium domesticorum aggratulatione, & mutuâ salutatione. Domi ergo diebus aliquot ad refocillandum animum quievimus, donec cum Principe ad Regem Poloniæ perrecturi essemus. Attigimus 6. Octobris per Lublinum Civitatem, & pagos Abrahamovicæ, Krzinica, Chmelna, Konov quatuor milliaribus & in Krztieniov pago pernoctavimus. Sequenti die per Vola Sobieczka (villam hæreditariam Sobieczkiorum) post duo milliaria in Ziulkew pago, nunc favore Regis

ſenſim in Civitatem aſſurgente prandimus; dein tribus pôſt milliaribus in Schebrzeszin pernoctavimus 7. Octobris, Civitate ſat magna, & honeſta, ſed plurimos incolas Judæos numerante. Hic acceſſit Principem & Principiſſam in teſtudine ludens Judæus cœcus, rogitans Eleemoſynam, à quo etiam inaudivimus Urbem hanc eſſe contagione infectam, adeoque citò indè diſcedentes, viâ trium milliariorum merâ arenâ albâ & profundâ uſque in Krasnibrud perreximus. Hæc olim Civitas, vix pagi ſpeciem fert. Poſt Civitatem in medio Sylvarum exſtructa ſtat Eccleſia latè celebris, ob miraculis claram Jconem Beatiſſimæ Virginis DEIparæ apud quam à Malo obſeſſi ſpiritu, opem experiuntur.

Ex Krasnibrud poſt viam duorum milliarium, itidem arenoſam in Tomaszov quieti nos dedimus 8. Octobris apud Judæum hoſpitem, cujus Virgo filia mihi ſecretò Germanicè locuta, aperuit ſe, dummodo de Matrimonio certa eſſet, velle divitias ſuas congregare, atque ob irrequietam à DEO vocationem, fidem aſſumere Catholicam; quod ei præſtare non potui. Denuo Eccleſiam imagine miraculosâ Beatiſſimæ Virginis claram tranſivimus, ac inde Lasztovka, Lubecza pagos, in Hrebiena Arce in monte ſita pranſi ſumus. Ulterius venimus ſex ſuperatis milliaribus, in Niemirov Civitatem; cujus incolæ meri Judæi, & Schismatici, hîc quietem adepti ſumus 9. Octobris. Indè duobus milliaribus Jaszow ſtary, pagus diſſitus, Principi & Principiſſæ, ut Regem uno tantùm milliari diſtantem ſalutarent convenienter, ad ornandum ſeſe, totamque Aulam, occaſionem obtulit. Perreximus itaque hoc milliari omnes, quam optimè compti uſque Javorow, quæ Civitas eſt Reſidentia Regia tota lignea, attamen pulchrè & nitidè fabricata conſpicitur. Hîc mox Legatus cum Conjuge ſua adivit Regiam Majeſtatem, Legationisque ſuæ Regi relationem depoſuit, qui miratus iter in reditu tam citò, nempe quinque hebdomadarum ſpatio peractum, Principem ob Legationem ritè expeditam, magno dignatus eſt honore, atque ad conteſtandum magìs favorem, Republicâ ipſa approbante, eum Capitaneum Vieliſſienſem declaravit.

Hinc

Hinc Regem & Reginam comitati ſumus, uſque ad Piſaczkovice, arcem itidem, & Reſidentiam Regiam, muratam 19. Octobris, ubi remanenti Regi Princeps valedicens Lublinum nobiſcum eſt reverſus.

Quia verò Princeps antequam in Moſcoviam perrexiſſet, votum ad Beatiſſimam Virginem Czeſtochoviæ fecerat, ideo ad perſolvendam obligationem, ſtatim dedit ſe itineri, quo pervenimus 2. Novembris. Ubi manè quilibet pro ſua devotione Imagini Beatiſſimæ Virginis, à Sancto Luca pictæ debitum perſolvebat honorem; Princeps vero precibus gratiarum actoriis pro felici reditu è Moſcovia redditis, Catenam inſuper auream centum aureorum obtulit.

Ibi commorati 2. & 3. Novembris. Quarta, quæ erat dies Veneris, poſt prandium patrocinio Beatiſſimæ Virginis nos recommendantes, diſceſſimus, & per eandem viam viginti octo milliaribus, uſque Slupi, Undecima Novembris feliciter pervenimus.

Eſt Slupi arx pulchra, in monte auræ expoſita, quam abluens Viſtula fluvius rapax, piſcationi piſcium magnorum Polonice Jeſſoter dictorum, occaſionem commodam præbet, & opportuniſſimâ piſcatione Principi 370. eorum præſentavit; quod certè mirabile fuit & inauditum. Ut proinde videatur Beatiſſima Virgo piam munificentiam Principis illamque catenam auream, hâc beneficentiâ, cum quilibet piſcium minimùm Imperialem unum valuerit, voluiſſe remunerari. Hinc Lublinum ac demum 21. Novembris Schedlecium profecti quievimus, uſque ad 12. Decembris, quo ægrotantem Principiſſæ Parentem Thomam Olensky, Caſtellanum Zakroczimskenſem, Heroëm celebrem, qui Terror Coſacorum cognominabatur, Princeps inviſurus diſceſſit. Erat Heroi illi framea, quæ Szabla Opalmiska ab eo vocabatur, à Nobili Polono Opalinski hoſtibus quondam erepta; quâ Heros iſte pro libitu quinque imperiales ſibi ſuper poſitos diſſecabat. Hanc filio mei Principis Caſimiro donavit, & omnibus valedicens placidè in Domino obdormivit 17. Decembris; cujus corpus noctu dela-

delatum eſt in Eccleſiam, publicè poſtea & decenter ſepeliendum.

Sequenti die 18. Decembris viam ingreſſi per 31. milliaria, Grodnam venimus Civitatem, quæ à Principibus, & Senatoribus pro Comitiis multum reædificata, reſtaurata & adaucta conſpicitur. Celeber à naufragiis trajectus per rapidum fluvium Niemen nobis multâ cautelâ ſuperandus obtigerat, cùm paulò ante nos, navis cum 50. perſonis & aliquot equis disrupta, Nobili cuidam Matronæ cum duabus filiabùs,aliiſque, cauſa fuerit ſubmerſionis: cæteris aliquot operâ ſuccurrentium evadentibus.

Multum ſibi complacuit Rex in tempeſtivo Principis adventu, cum pauci adeſſent Palatini, & Senatores, itá ut exiguâ per feſta Natalitia comitatus ſit Magnatum aſſiſtentiâ. Hîc inter Proceres magnam adverti Seſſionis, & honoris causâ competentiam, unde Palatini aliqui deditâ operâ diutius emanebant, ſolummodo ut major ſibi Nobilitatis numerus occurrens, introitûs ſplendorem adaugeret; quæ cauſa unica dilationis Comitiorum fuit. Interim novo adventante anno 1679. & numero Senatorum adaucto, Comitia inchoata ſunt, quibus aliquoties adfui. Ubi Rex ſub Baldakino, ut vocant, in Regio Throno ſedens, ſuæ circumcirca Majeſtatis diſpergebat radios, conſedentibus ad latera Palatinis; poſt quos Caſtellani & Staroſtæ ſtantes, ultimò reliqua Nobilitas, & plebs cætum claudebant. Attamen nunquam potui quidquam intelligere præ clamoribus magnis, & proteſtationibus, murmure, & execrationibus, ut menti inciderit dictum cujusdam Itali ſæpius in Polonia auditum: Hîc aliquid fit de ſeptem miraculis mundi: vocîferantur, & rixantur, tanquam ebrii, & tamen ultimò concludunt.

Aderant quoque tunc Legati complures Regum, & Principum, utet ipſiusmet Romanorum Imperatoris, Excellentiſſimus Comes ab Althaim, in cujus comitatu in Patriam redivi. Contigit ternis vicibus, ut cum proteſtationibus exierint Senatores, & annihilare conati ſint comitia; attamen clandeſtinè corrupti, denuò redierunt, quod cum advertiſſent alii minoris conditionis,

ſpe

ſpe quoque & ipſi pecuniæ acquirendæ, varias adhibebant proteſtationum formulas, ita ut ideo Comitia usque ad Paſcha protracta fuerint.

Ego obtentis à Principe in quadrageſima, interventu etiam gratioſo Principiſſæ, novis pulchris veſtibus, ſtatui Servitio huic renunciare, nactus occaſionem pergendi Varſaviam,cum Palatino Lublinenſi. Dimiſſionem ergo ex Servitio petii & magna cum difficultate impetravi, in aulam prædictam transgreſſus, cum qua 17. Martii Anno 1679. trahis diſceſſi, Palatinus verò ipſe, quoniam deciſioni ob certam aliquam cauſam adeſſe adhuc debuerat, tertiâ die in Sokolka nos expectantes, aſſecutus eſt.

Minùs mihi hæc præ priori Aula placuit, ubi quidem ſplendida erant omnia, quæ apparatum extra parietes domeſticos concernebant, aſt intra eosdem Semi jejunandum erat.

Non eſt hic apud Magnates inſolitum, ut ea, quæ ad oſtentationem, in equis, in tapetibus, in domeſticis apparatibus conducunt, haudquaquam omittant; Servos verò miſeriùs habeant. In hoc itinere venimus etiam in Radvan, Sedem Nobilium agricolarum, cùm terram ipſimet ſibi excolant; neque enim inibi Nobilem (loquor de infima ſorte) arare, ligna in Urbes vehere, & omnes agreſtes functiones peragere dedecori eſſe arbitrantur. Frameâ ad femur poſitâ, à ruſtico diſtinguitur, eique titulus Sſlachtitz / & waſſeczy competit. non Omittendus etiam dum ligna in foro vendit. Difficilis jam trahis erat via remittente frigore, ut tandem curribus uſi Varſaviam, perſolutis 41. milliaribus, 24. Martii attigerimus. Poſt Paſcha Excellentiſſimus Comes Legatus Cæſareus Grodnâ huc advenit, & ſolus per poſtam relictâ aulâ, Viennam præceſſit. Hanc ergo occaſionem domum redeundi intermittere nolens, & notitiam cum illa aula Grodnæ inchoatam proſequens, licet Palatinâ planè invitâ (quæ non pridem Pragâ Patria mea redux, aliquam mei notitiam, majoremque ob variam ex me ſuam commoditatem, æſtimationem habebat, nec tamen pro Salario annuo, plusquàm centum florenos Polonicos ſeu noſtratium 30. offerebat, pluraq; promittebat, ac demum etiam

vim

vim minabatur) ad aulam Legati cum rebus meis, ibi tempus discessûs expectaturus me contuli, cohibente ferociam Palatinæ, reverentiâ Legati Cæsarei. Interim Warsaviam perambulabam, multùm à meis etiam notis peste evacuatam, donec 22 Aprilis ultimùm Varsaviæ pransi, discessissemus; Czestochoviam (ego quidem jam tertiò) 26. ejusdem appulsi confectis milliaribus 31.

Tarnovicii in Silesia, aliam occasionem quærere coactus fui, Legato se Viennam versus dirigente, Nissam, cum quopiam auriga me contuli milliaribus 17. Nissâ cum eodem auriga domum ejus tribus solum milliaribus Glacio distantem, & mox indè Glacium, indeque sine omni mora, urgente occasione, Pragam abii, quam peregrinationis meæ exordium & finem attigi 8. May, Anno 1679. marsupio multùm evacuato, sed integrâ valetudine.

Ab Anni ergo Millesimi Sexcentesimi Septuagesimi Octavi Undecima Februarii, usque ad Anni Millesimi Sexcentesimi Septuagesimi noni Octavam Maji, confeci Septingenta quatuordecim milliaria: per totum verò triennium, à quo in Poloniam abii, peragravi mille centum & septem milliaria.

DEO optimo maximo Laus, & gloria, Beatissimæ DEI Genitrici, Patronisque Bohemiæ honor, & gratiarum actio in Sæcula.

CAP.

CAP. XXIII.

APPENDIX.

De nupero Tumultu Moscuæ.

PRo Corollario, Benevolo Lectori annectere libuit, Nova è Moscovia data 30. Maji Anno 1682. quæ quia ingentem mutationis notam præseferunt, constitui illa ellucidata, meliùs ob oculos proponere, cùm plurium, qui hîc nomine notantur, Personas & officia noverim ac spectaverim.

Nova è Moscua 30. Maji 1682.

Postquam noster Magnus Dux & Czar Theodorus Alexides florente licèt præditus ætate mortuus fuisset 12. Aprilis, in Successorem ejus, Frater ex secundis nuptiis natu minimus, tunc adhuc in exilio degens, favore procerum, qui plerique Matris ejus amici fuerant, electus, ac Magnus Dux & Czar Moscoviæ denominatus est. Quod dum plebs percepisset, militumque turmæ, mox Seditionem congregata hominum armatorum 10000. turba movit, furensque magnam Procerum stragem 15. 16. & 17. Aprilis edidit, ità ut non tantùm de Cognatione Neo-electi Czari, verùm etiam Principes, Generales, officialesque, atque alii Magnates, Magni Ducatûs Moscoviæ, miserè necati sint. Insuper hoc seditioso turbine, in omnes Urbis partes effuso, ne posterior, hæc Czari electio subsisteret, populus Seniorem Fratrem Pectorem Alexidem, qui ob incapacitatem, à Magnatibus in prima electione præteritus fuerat, Czarum nominavit; adeoque nunc duo Czari in uno Palatio resident. Quamdiu hæc discordia duratura sit, tempus docebit.

Catalogus occisorum Bojarorum.

SEx primarii Bojari & Principes Regni. Primus Princeps Georgius Alexides. Secundus Princeps Michael Gurgides Dolgo-

 ruki

ruki. Tertius Princeps Georgius Gregoriades Ramedanovski. Quartus Joannes Maximides Jaſikov. Quintus Artemon Sergides Matslow. Sextus Joannes Kirilov Nariski; duo officiales Aulici, Carion Joannides, & Overke Stephanides. Aulici aliquot, nempè: Ferdenpetrov Saltitlov, & Baſilius Wilimonov Nariski, Offtonavius Kirilov Nariski, Michael Danilov de Galden, & Baſilius Carion. Duo Colonelli, Andreas Semenov Doctorides, & Conradus Garliski, Duo Doctores Medicinæ, Daniel de Galden, & Joannes Devstzomo, & cum illis ad 40. aut 50. plebejorum. Kirilo Polujuchtides, & Kirilo Monaſtir cum filio, & Artemonis filius, veſtibus Monachorum induti evaſerunt.

Quorum cùm hæc nova non niſi mentionem, prætermiſſis eorum officiis, Authoritate, & geſtis, faciant, dignum duxi hâc ſequente narratione, quæ de cujusque munere notavi, exponere.

Regnavit nuperis annis Alexius Michaëlovicz, qui inter ſuos Primores pro Supremo Officiali, & ſibi addictiſſimo habuit Artemon Sergevicz Matſcoff, is, quia non tantùm ſtemmate, ſed & ingenii ſublimitate excelluit, ab omnibus nimiùm æſtimatus fuit.

Huic ſecundus Michalo Kurgevicz Dolgoruki, qui olim apud Czarum Michaëlem Patrem Alexii ab ineunte ætate Sclopetarium, Ruthenè Krahulczik egit, ſed ob ſubſequens ejus factum, Principis gradum aſſecutus eſt. Cupidus ipſe nimirum auri, quia ejus copiam nuspiam majorem, quàm apud Czarum ſperare poterat, dum vigilias in Palatio ageret, indagavit, ubi nam Czar dormiret noctuque foramen per pavimentum ſubtus fecit, & ciſtulam magnâ vi auri plenam ſubripuit planè tunc; cùm ipſe Czar de furto ſomniaret. Fur foramen poſt ſe occluſit, & ciſtulam inhumavit. Expergefactus Czar, ciſtulam ſibi porrigi juſſit, quæ cum nullibi locorum eſſet, advertit primò Somnium ſuum verificatum fuiſſe. Sequenti ergo nocte juſſerat Czar duos ex minoribus, Miniſtros vigilare. Cum itaque non ſatiatus Dolgoruki, foramen pavimenti rurſus accedens, advertiſſet vigiles, auſcultavit, quid Secre-

Secretè inter ſe muſſitarent, percepitque eos ſimul tractare, quomodo Czarum veneno tollerent; quod etiam concluſerunt, ita, ut eorum unus Czarum ad Convivium invitaret, eique cibum veneno inſtructum præponeret. Hoc audito fur receſſit. Sequenti die itaque Czarum accedere conatur fur, ac cùm demum nulli quidquam de ſuo Secreto prodere vellet, tandem ob continuam ejus importunitatem apud Czarum inſinuatus eſt: cui ſoli, cùm intromiſſus fuiſſet, omnia etiam ſe ciſtulam rapuiſſe, & illos duos in vigiliam ſubſtitutos veneno tollere Czarum machinari, patefecit. Exacerbatus Czar, diſſimulavit tamen omnia, & ecce! vix præterlapſis duabus ſeptimanis, ab altero conſpiratorum ad convivium invitatur Czar, ubi inter epulandum præponit Machinator cibum inſtructum, quem cum poſt Czarum ſtans fur Krahulczik advertiſſet, tangendo Czarum, ne ſumeret, ſignum dedit. Quid Czar? accepit partem bonam, & eam cani projecit, qui ſumpto venenoſo bolo, cùm in ventriculo diſſolutus fuiſſet, agitando ſe coram oculis Czari, exanimatus eſt. Czar ergo juſſit conſpiratorem teneri, & quis alter Conſpirator eſſet, furem Krahulczikum interrogavit; quem ille mox digito prodidit. Rapti ergo ambo, & fuſtibus patrio more enecati ſunt: familiâ inſuper eorum totâ proſcriptâ. Ipſum verò Krahulczik, in remunerationem talis facti, Principem fecit, eique amborum horum divitias donavit. Hinc quoque fur ille, nomen Dolgoruki, quaſi dlauhy ruky/ id eſt longarum manuum, nactus eſt, quia furto ſuo uſque ad intima Czari penetraverat.

Supra nominatus Czar Alexius, cum prima uxore habuit filios duos, primogenitum valde deformem, qui ſemper in Monaſterio degebat; alterum Theodorum Alexievicz. Mortuâ autem hâc, accepit aliam, cum qua unum progeneravit filium; & tandem derelictis hiſce tribus hæredibus, animam æternitati tranſcripſit.

In Regimen, non potuit ob deformitatem ſuccedere primogenitus; ſucceſſit Theodor Alexievicz: etiamſi in ea electione magna inter Primores controverſia exorta fuerit.

Q 3 Arte-

Artemon supradictus, præ cæteris Sapientissimus, cum aliis sibi adhærentibus multis, voluit natu minimum, quem fratre Theodoro ingeniosiorem advertebant, Czarum habere. Dolgoruki cum sibi assistentibus, voluit Seniorem illum, medium natu Theodorum, quibus, cum diu disceptâssent, & contendissent, adhæsit plebs, ac consensit, ut tandem Theodor in Czarum electus, & creatus fuerit.

Hic Czar concipiens rancorem contra Artemon, mox eum, raptis omnibus bonis & divitiis, ad quas evehendas vix spatium quatuordecim dierum suffecisse dixerunt, expulit, & in exilium ad ducenta penè milliaria, totâ etiam ejus cognatione proscriptâ, misit, nec ei pro victu diurno plus, quam tres Kopicas (quarum quinque faciunt nostrates novem cruciferos) assignavit; Frater verò Czari minimus, ne quid ei violentiæ accideret, in suum longè distans dominium abiit, ibique privatus resedit. Ast Dolgoruki apud huncce Czarum in hac, in qua Artemon apud Patrem, æstimatione, & prioritate habitus est; qui solus unicus, ut in nostra Legatione animadvertimus, quatuor equis vehi licentiam habuit, in Sessionibus omnibus semper pulcherrimis, & pretiosissimis indutus vestibus, à Legatis ad Czarum vicibus omnibus Commissarium egit. Erat parvæ staturæ vir præpinguis, ita ut, quando ambularet, se nimium agitaverit, ac si omnes corporis ejus partes vacillarent.

Nunc itaque mortuo Czaro Theodoro (quem dicunt veneno sublatum) redivit frater minimus cum Artemone, & reliquis sibi addictis, & illum rancorem, quem pridem conceperant, in eos, quos pridem antea adversarios passi fuerant, vice versâ effundere, quid nî machinarentur? quod ipsis ad votum non successit: advertit enim plebs indomita, ex aliquo odio partis Artemonianæ, sublatum fuisse Czarum Theodorum, quem in amore, & æstimatione maxima habuerant; cumque percepisset Electionem Junioris, operâ ejusdem amicorum factam in rabiem sine dubio ex instigatione aliqua amicorum Theodori Czari defuncti, acta consurrexit, & nocentes, cum innocentibus occidit.

Quamvis verò hunc natu minimum in Czarum assumi debere viderent; attamen Fratrem alterum deformem illum, ne plebeja electio præteriretur, in Czar quoque elegerunt: Quapropter habent nunc duos Czar, unum à plebe, alterum à Nobilitate.

Ex illis occisis aliquos, cùm frequens in Sessionibus fuerim, me novisse memini. Primus Knias Jurgen Alexievicz nullum aliàs officium habuit; ast quia ex stemmate Czari fuit, primarium obtinuit locum Senex jam decrepitus. De secundo Knias Michalo Kurgevicz Dolgoruki jam memoravi. Tertius Knias Grigori Grigorevicz Romedanovski tempore nostræ Legationis Anni 1678. mensibus Majo, Junio, Julio, & Augusto, fuit Generalissimus contra Turcas apud Czehrinum, qui Victoriam præclaram reportavit, Turcas castris exuit, raptis omnibus impedimentis, captis plurimis cum uno Bassa Hann. In hac strage, prout narrabant, ad centum millia ab utraque parte cecidere. Resumptis verò viribus Turca, non advertente hoc Generalissimo, invasit Czehrinum, tandemque Civitatem expugnavit; Romedanovski advertens Castellum, quod ad Civitatem ipsam Czehrinum exstabat, difficulter se retenturum, intus fecit cuniculos, & cum ad eos accendendos parata fuissent omnia, discessit cum armatis, & Castellum deseruit; Turca ergo mox illud invadere, & cum armatis intrare cæpit; at cùm optime jam occupatum fuisset Castellum, Generalissimus cuniculos accendit, eoque modo iterum plurima millia Turcarum (ut Mosci gloriabantur) obruit. Unde debilitatis ita viribus Turca cum pudore recessit, & bellum intermisit. Auditis prius hisce novis Czar, quod capta esset Urbs Czehrin, turbatus valdè odio hunc prosequi Generalissimum suum cæperat; ast quando relatum est Generalissimi stratagema, cum plausu reductus in Moscuam, ductis post se captivatis Turcis, magnum à Czar præmium retulerat.

Quar-

Quartus Ivan Masimovicz Jasikow, fuit mei Principis Czarteryski Legati Poloniæ Adstes, qui solus cum Principe conversari ausus est. Quintus Artemon Sergevicz Mastloff, quis & quantus fuerit Vir, superius enarravi. Sextus Ivan Kirilov Narisken fuit supremus stabuli præfectus; is, cùm, & quotiescunque destinata fuisset nostræ Legationi Sessio, totus alios semper & alios currus, & equos assumendo, præeuntibus aliquot paribus Ministrorum, pro Legatis veniebat, & ante currum eques præibat. Septimus Demnoidiak Michailo Ivanovicz Strabezi, Legati Magni Ducatûs Lythuaniæ Adstes fuit. Octavus Wilimow Wasilevicz Narzkiviz Diak, Legationis nostræ Secretarii Adstes. Reliquos, quos nova recensent, me novisse non recordor, quamvis & illos & alios multos haud dubiè viderim & noverim; ast nomina tam multorum difficilè fuit expiscari.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

Ablutio Moscorum annua in flumine Capite 17
Adstites Moscovit. 7.§.9
Animalia multa in Moscovia 19
Apparatus Legatorum ad ingressum Moscuæ 10
Architectus malè præmiatus 13
Audientia apud Czarum 11

B.

Balnea Moscorum 19
Baptismus annuus 17
Barba à Czaro exusta 15
Beatissimæ Virginis DEIparæ cultus apud Moscos 19
Benedictio fluminis annua 17
Bialgorod 13
Boristenes fluvius 5.6.7.8.

C.

Camelus in Moscovia 20
Campanæ multæ grandes 13
Canes vivam fœminam dilacerârunt 16
Canes vice equorum 19
Capitaneus Dragonerorum amandatus 6
Captivi Moscuæ 13
Carnem crudam semiputridam vorant Mosci 13
Casimiria urbs 4
Caupones Judæi 4
Caupones 6
Comitia Polonorum 2.22
Convivia Moscorum 12
Cracovia urbs 1
Crudeles Mosci 16
S. Crucis reliquiæ 4
Crucis signum more Moscorum 7.13
Currus Fœminarum magnarum Moscuæ 19
Curru 4. equis vehi soli Principi præcipuè apud Moscos concessum 23
Czari splendor vestium 11
Titulus 11
Thronus 11
Conjugis sepulchrum 9
Processus ad recreationē 19
Mors, causa tumultus 23
Czar veneno appetitus 23
Czari nunc duo 23
Czastachovium monasteriū 22
Czehrinum à Turcis oppugnatum 17.23
Czernici 7

D.

Devotio Moscorum 19
Divitiarum Czari æstimatio apud Moscos 15
Domus paratæ venduntur in foro 13

E.

Ebriosi Mosci 14
Energumeni multi in Polonia 1
Epulæ Moscorum 12.15.18
Exteris non conceditur ex Moscovia reditus 14.16

F.

Foeminæ Moscuæ 13
Fœminæ Tartaricæ deformes 14
Fœminæ supplicium 16
Festi celebratio apud Moscos 15
Finis itineris Moscovitici 22
Forum Moscuæ 13
Forum pediculosum 13
Fossa quadrata olim limites Moscoviæ 8
Framea egregia 22
Fraudulenti Mosci 17
Frigus in æstate Moscuæ 14
Furni Moscorum 8
Fur, factus Princeps 23
Furtum Carpentarii detectum 20
Furtũ ex ipso conclavi Czari 23

G.

Gemmæ copiosæ apud Moscos 14
Germani Moscuæ 14
Germani redire in Patriam petentis pœna 16
Grodna Urbs 2
Gronostagæ formosa animalcula 19

H.

Hermeniles animalia alba 19
Homicidia leviter puniunt Mosci 16
Honoris appetitus in Polonis 22
Horologium elegans 13
Horti Czari 14
Hospitia Lithuanica 6

I.

Jesuitæ 6.21
Imago SS. Virginis DEIparæ miraculosa Zirovicii 6
Impudici Mosci 19
Incendium Moscuæ 17
Incessus Moscorum 19
Inconstantia Moscorum 17.19
Indulgentiæ balneantium 17
Infantes lactandi modus barbarus 9
Infantibus nolas affigunt Mosci 9
Ingressꝰ Moscorũ magnificus 10
Innocentius XI. Papa 2
Insectum Karakan molestum 8
Insignia Moscoviæ 11
Judæi 2.4.6.
Juramentum publicum Moscorum & Polonorum 16
Juramentum Czari 18

Iwan

Iwan Welikoy Turris 13

K.

Kabak popinæ 9.20
Karakan insectũ molestum 8
Kataigorod 13
Kopika pecunia Moscorũ 18.23
Krahulczik, sclopetarius 12
Knias Princeps 12
Krimgorod 13
Kukui Urbs Germanorum 14

L.

Lactucæ Moscis ignotæ 14
Legationis Polonæ splendor 5
Legatorum Palatium 11
Legationis puncta 15
Legatus Princeps factus Capitaneus Wielissiensis 22
Legati Principis pium munus oblatum Czastachoviæ 22
Libertas Polona 1.3
Lublinum Urbs 4
Lukow civitas plena Nobilibꝰ 4
Lusus Moscorum 19
Lusus puellarum Moscuæ 19

M.

Moenia Smolensky non possunt reædificari 21
Magnates Moscuæ occisi 23
Magnitudo Moscuæ 13
Mercatores Moscuæ 13
Milites Mosci 13
Milliare Moscoviticum Wiast 9
Minæ Moscorum contra Legatos 15
Minsa Urbs 6
Molilow Urbs 7
Monachi Moscovitici 7
Monasterium Moscorum 9
Moniales Moscoviticæ 13
Mores Moscorum 19
Mosaisco Urbs 9
Moscoviæ limites 7
Moscorum erga suum Czarum veneratio 9
Moscua Urbs 13
Moschus magnos Legatos insecutus 20
Mulieres Moscoviticæ 7
Munera Czaro oblata 11
Munera Czari à Polonis contemta 18
Musica Moscis parùm nota 7

N.

Naleiki Urbs Germanorum dicta 14
Narev fluvius 2
Natalis Czari 15
Niemem fluvius 2.6.
Nobilitas Polona 2.4.22
Nuptiæ infaustæ Moscuæ 16
Numerus militum Moscuæ 13

O.

Obeliscus Romanus 2
Officinæ à Germanis erectæ 14

P.

Pacta inter Moschos & Polonos 16
Palatium Czari 13

Pascha

Paſcha Moſcorum 7
Patriarchæ benedictio 13
Pediculorum forum Moſcuæ 13
Pelles variæ in Moſcovia 19
Pelliones artifices Moſcuæ 19
Periculum extremũ vitæ autoris 3
Perſæ Mercatores 13
Peſtis Warſſaviæ 4
Pictorum platea Moſcuæ 13
Pietas Moſcorum 13
Piſcatio fortunata 22
Plateæ Moſcuæ 13
Polanovce cõfinia Moſcuæ 8
Polonorum convivia 2
Comitia 2.22
Magnificentia 2
Rixa 1.3
Splendor 4
Hoſpitalitas 4.6
Pietas 4.5
Bellicoſitas 6
Jejunia 6
Magnanimitas 15
Poloni aliqui ultrò facti ſervi apud Moſcos 18
Pompa Legatorum apud Smolensko 7
Pontium multitudo 20
Popinæ dictæ Kabak 9.20
Poſta in Moſcovia 9
Præurbium Moſcuæ 13
Proceſſus ad Czari alloquium 11
Proceſſus ad Seſſiones 15

R.

REditus Legatorũ præcipitat⁹ 20
Reluctantia Moſcorum contra Legatos 15

S.

SAcellum Czari ſplendidum 16
Schiſmatici 6
Sclavi 18
Seſſiones Legationis 15
Smolensko Urbs 7
Somnium Czari mirabile 23
Salaſs, tuguria 9
Stabudum Czari 13
S. Stanislai miraculum 4
Strelecka sloboda 13
Supplicia apud Moſcos 16

T.

TAbernæ Moſcorum 9
Tartari cadavera vorant 13
Templa multa 13
Titulus Czari ſemper totus repetitur 11
Tormenta mira 11
Triumphus legatorum ob victoriam Moſcorum 20
Tumultus Warſsaviæ 3
Tumultus Moſcuæ 23
Turcarum ad Czehrinum clades 17
Turris Iwan Weliky 13

V.

VAledictio Legatorum 18
S. Valeriani corpus 4
Warſsavia Urbs 1
Vectores publici Moſcuæ 14
Venatio Moſcorum 19
Wiaſmo Urbs 9
Wiaſt milliare Moſcoviticum 9
VictoriaMoſcorũ contraTurcas 17
Vieprz fluvius 4
Vigiles Moſcuæ 13
Vilna Urbs 2
Virgines Moſcoviticæ 10
Urbs à terra abſorpta 2
Uxores Moſcorum 19

Z.

ZEmlenigorod 13.

)(o)(